



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In  
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij  
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

**Peñafiel, Alonso**

**Lugduni, M.DC.LXXIIX.**

Qvæstio II. Vtrùm possibilitas sit quid positivum?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)



quod patet clarissime, quia v.g. status animæ rationalis non dicitur proprie ac formaliter ipsa privatio unionis, licet lato etiam modo dici soleat status separationis animæ, & tunc etiam dicitur status coniunctionis animæ quando anima est unita, & in hoc sensu nec separationis status solum per antonomasiam dicitur status animæ, nec coniunctionis status dicitur talis per antonomasiam, licet status coniunctionis proprius sit animæ rationali, cum in statu coniunctionis adipiscatur ac consequatur suum finem naturalem constituere nimirum hominem.

117 Status itaque proprius animæ rationalis, est actualis eius existentia, seu actualitas propria indistincta à parte rei ab essentia actuali ipsius animæ, ut ait Divus Thomas 1. parte quæst. 75. & prima secunda, ac tandem secundo contra Gentes: ergo similiter negatio unionis cum existentia seu privatio illius non potest dici status possibilitatis, cum potius status possibilitatis deberet dici per Antonomasiam coniunctio cum existentia, cum in eo statu perficiatur possibilitas acquiratque suam ultimam perfectionem ac finem constituendo rem creatam in suo esse.

118 Itaque status possibilitatis est propria actualitas negativa, secundum quam denominatur actu ab æterno possibilitas, & vocatur à multis existentia negativa illius, minimeque distincta à parte rei ab ipsa possibilitate, quia sicut in rebus positivis actualitas non distinguitur ab essentia positiva actuali, sic similiter in rebus negativis, ut videre est in cæcitate, & tenebris, quarum existentia negativa, seu actualitas non distinguitur à parte rei ab ipsa essentia actuali cæcitatibus, & tenebrarum, & eodem modo contingit in vacuum supra cælum: ergo possibilitas ab æterno habet suam actualitatem à qua formaliter constituitur in esse actualis possibilitatis, & denominatur actu possibilitas ab æterno, quæ actualitas negativa in tali possibilitate non distinguitur ab ipsa possibilitate, seu essentia illius, quæ nihil aliud est nisi possibilitatem esse actualem negationem aptitudinis positive ad existendum.

119 Ad primam rationem distinguo consequens; possibile est actu non ens, id est non includit actu aliquid positive entitatis, concedo; non est ens actu, id est, est negatio formaliter intrinsece, & primario actualitatis, & positive existentie nego, v.g. cæcitas actu non est ens, quia nihil positivum habet in se, nihilominus tamen primario non est negatio existentie, sed potius negatio visus; ad minorem eodem modo responderetur: ad consequentiam distinguo, est formaliter negatio entis, id est existentie vel totius latitudinis entitatis, nego; est negatio aptitudinis positive ad existendum primario, concedo; ad probationem eodem modo responderetur.

120 Ad secundam rationem concedo totum antecedens, & consequens si de esse secundum quid loquatur; conceditur item minor, & consequentia, & maior postea posita, negatur minor ut patet ex supradictis; ad probationem nego suppositum illius, quod negatio illa, videlicet quæ possibilitas est, debeat esse respectu illius, quod aut habet actu, aut potest habere: sed potius respectu illius, quod nec habet, nec potest habere, id est respectu aptitudinis positive ad existendum, semper enim negatio propria, & essentialis in aliquo subiecto est respectu illius, quod impossibile est respectu talis subiecti, vel est negatio peccati,

creaturæ, & accidentis in Deo, in quo distinguitur negatio à privatione proprie sumpta, quia privatio in subiecto arguit capacitatem, & potentiam in illo ut habeat id cuius privatione afficitur.

Ad confirmationem transeat antecedens, & concedo consequentiam, illa autem solutio sicut non est pro nobis, ita neque eius oppugnatio est contra nos, quia possibilitas in nostra sententia non est primario immediate formaliter negatio existentie.

## QVÆSTIO II.

*Utrum possibilitas sit quid positivum.*

### SECTIO I.

*Sententia contraria cum suis probationibus.*

**P**RIMA igitur sententia in hac re est, quæ asserit ens possibile esse aliquid positivum: sed in explicando hoc positivo variant illius patroni, primo igitur Pater Albertinus tom. 2. quæst. 1. asserit probabiliter affirmari posse, essentias creaturarum in statu possibilitatis non esse omnino nihil, nec habere solum esse potentiale in causa: sed ab æterno habere etiam esse in terminum positivum actuale, & absolutum quidditativum suæ essentia; atque adeo ab æterno solum fuisse negationem existentie exercita, non vero negationem essentia eo modo quo affirmant Thomistæ, quod in materia prima nunc datur tota essentia illius, datur tamen negatio existentie quam habitura est eadem materia prima sub forma equina, & per consequens eadem materia prima entitative, & formaliter secundum suam intrinsecam, & essentialia, quæ est sub una forma, manet postea sub alia; ita ut tantum mutet existentias, quæ sunt quasi status ipsius materie primæ; ita similiter asserit Albertinus quod eadem essentia entitative formaliter, & intrinsece, quæ erat sub statu possibilitatis sit postea sub statu existentie tantum permutationem statuum, qui sunt extra essentiam rei. Deinde asserit conclus. 2. hoc esse actuale essentia esse à parte rei extra intellectum divinum nullo modo causatum ab illo efficienter, quod statuit contra Scotum.

Secundo Basilius Ponze Augustinianus variarum disputationum, parte 1. quæst. 8. cap. 8. asserit possibilitates rerum esse ipsas entitates rerum à se ipsis extra causas existentibus, eatenus solum distinctas in statu possibilitatis, quatenus diversa prædicata vel diverso modo eadem prædicata illis attribuuntur; itaque author iste asserit illud esse positivum creaturarum possibile esse à se independentem à Deo actualiter, licet sit dependens possibiliter, & per possibilem dependentiam, & causalitatem seu in actu signato, & non in actu exercito, ut alij asserunt, atque ideo asserit esse illud positivum potentiale, distinctum realiter ab esse Dei, ut unum ens positivum ab alio ente positivo.

Hanc Basilij sententiam videtur sequi Pater Granado tom. 2. in primam partem, tract. de divina potentia, disput. 7. sect. 2. quatenus illam maxime laudat,



laudat, eandem sententiam videtur sequi Pater Hurt. *disp. 7. metaphysicae, sect. 1. §. 11. conclus. 4.* ubi sic inquit. Haec res factibiles quae sunt aptitudines seu non repugnantia ad essendum non sunt, nec negatio, sed conceptus aliquis positivus; quomodo autem fiet hoc cum his quae ipse dicit *sect. 2. eiusdem disputationis, conclusio 1.* ens in potentia esse simpliciter non ens; & totam illam sectionem consumit, probando non solum fuisse ab aeterno negationem existentiae rei: sed etiam negationem essentiae; & per consequens in tempore non solum produci existentiam: sed etiam essentiam; quod optime probat, quae dicta difficile conciliari possunt, nisi dicamus quod *in sect. 1.* quando asserit esse possibile conceptum positivum loquatur terminative; & ratione connotati; & quod in *sect. 2.* loquatur de possibili formaliter, & in se ipso, non enim est credendum quod in tam brevi intervallo contraria, & sibi opposita dicat Doctorissimus hic Pater.

4 Haec etiam sententia faveret Pater Vasquez *tom. 2. in primam partem, disp. 143. cap. 4. num. 26.* quatenus hoc asserit, deinde rem non implicare contradictionem, & si negatione explicetur, negatio tamen non est, quia est obiectum divinae omnipotentiae, quod obiectum positivum debet esse, quia omnipotentia quid positivum respicit; hanc etiam defendit Pater Hertze *tr. 11. de scientia Dei, disput. 5. cap. 2. qui num. 13.* asserit tam repugnantiam quam non repugnantiam posse esse quid positivum.

5 Secunda sententia asserit ens possibile habere utramque rationem positivam, scilicet, & negativam: asserunt igitur Doctores huius sententiae quod ens possibile, quatenus comparatur cum impossibili sit aliquid positivum, quatenus vero comparatur cum existenti sit aliquid negativum. Haec sententia tribuitur Gaetano *de ente, & de essentia cap. 4. quest. 6.* sed haec sententia vi minus probabilis iam est relicta ab adversariis.

6 Unde prima sententia probatur ab Albertino hoc argumento, quod hic author principium vocat in hac materia, quod his verbis ponit.

7 Et quare quare lapis non habeat repugnantiam ad existendum, & chimera habeat illam, & si respondeas, quia hoc est hoc, & illud est illud. Sed contra primo nam iterum quaeramus quid sit hoc esse hoc, & illud esse illud, quia vel est ipsum suum esse actuale, vel potentiale in causa; si actuale habetur intentum, creaturam scilicet possibilem, esto per non repugnantiam ad existendum explicetur esse tamen in se, & formaliter actuale aliquid positivum distinctum ab esse Dei.

8 Si vero dicatur esse ipsum suum esse potentiale in causa, inquiramus ulterius quare chimera non habeat hoc esse potentiale in causa? non enim provenire potest hoc ex defectu, & imperfectione causae, quia virtus omnifactiva Dei est virtus simpliciter infinita sine aliqua imperfectione, & defectu: ergo provenit ex ipsa repugnantia chimerae, quia videlicet lapis habet intrinsecam connexionem terminorum qua chimera caret.

9 Tunc sic, connexio illa intrinseca terminorum in lapide est quaedam unio: ergo actus respondere debet illi res aliqua cuius illa sit unio, quia repugnat intelligi modum aliquem esse actum quin simul intelligatur res aliqua actu, quam

R.P. *Idaph. de Penafiel, Theol. Schol. Tom. I.*

modus ille afficiat, & modifiet; atqui connexio illa actu convenit lapidi in statu possibilitatis: ergo lapis in statu possibilitatis est res aliqua actu.

10 Dicunt aliqui connexionem illam fundari in esse potenciali, quod lapis habet in causa: sed contra, quia qui ita respondent committunt circulum quemdam viciosum, quia quando ab illis quaeritur, quare chimera non habeat hoc esse potentiale in causa? respondent, quia chimera non habet intrinsecam connexionem terminorum, quam habet lapis. Deinde cum quaeritur de fundamento intrinsecae connexionis terminorum dicunt esse illud potentiale, quod habet lapis in sua causa, & ulterius respondent quod ideo in causa datur illud esse potentiale, quia lapis non repugnat esse circulus, &c.

11 Dicunt alij impossibilitatem sive negationem intrinsecam connexionis terminorum in chimera provenire ex formali repugnantia quam habet chimera ad non existendum, & non per respectum ad Deum ut ad causam; lapidem vero habere possibilitatem seu illam intrinsecam connexionem per respectum ad Deum ut ad causam; unde cum chimera repugnet esse effectum Dei non habet impossibilitatem, & repugnantiam per respectum ad Deum ut ad causam, lapis vero cum possit esse effectus Dei, habet suam non repugnantiam ad essendum per respectum ad Deum ut ad suam causam.

12 Sed contra asserit Scotus, quia sicut affirmatio est causa affirmationis, ita negatio est causa negationis: ergo si potentia activa Dei est causa possibilitatis creaturarum; impotentia erit causa impossibilitatis chimerae, atque ideo repugnantiam chimerae esse, quia non datur in Deo potentia factiva illius, quod sine incommodo affirmari non potest, quia Deus est infinitus simpliciter in ratione potentis, atque ideo per unam simplicem virtutem operari potest, quod in se non implicat contradictionem: ergo non ex eo chimera non potest fieri à Deo, quia in Deo non datur virtus: sed quia in se repugnat: ergo è contra ideo potest facere lapidem, quia in se non repugnat.

13 Secundo probatur, quia haec propositio, homo est animal rationale, est propositio aeternae veritatis, conformaturque debet suo obiecto per aeternitatem: sed per illam non enuntiatur hominem posse esse animal rationale: sed actu esse tale, ut indicat copula illa de praesenti est, quando dicimus, homo essentialiter est animal rationale: ergo homo etiam in statu possibilitatis actu est animal rationale: sed animal rationale est quid positivum, quia est principium operationum positivatum, scilicet vivendi, sentiendi, & ratiocinandi: ergo homo quid positivum est secundum esse possibile.

14 Confirmatur, unum nihil non potest esse magis nihil quam aliud: atqui si creatura possibilis non esset formaliter aliquid positivum, unum nihil esset magis nihil quam aliud, fieret enim magis nihil esse chimera quam creaturam possibilem, cum illi repugnet existere, huic vero non: ergo creatura possibilis est aliquid positivum.

15 Secundo confirmatur, unum extremum contradictorium non potest converti, neque transire in aliud contradictorium: sed si creatura possibilis esset aliquid negativum, & nihil id fieret.

K k k



ret, quoties Deus ab statu possibilitatis ad statum actualitatis illam extraheret, quia illud quod erat negativum faceret positivum: ergo creatura possibilis non est quid negativum.

16 Tertio confirmatur, inter obiectum, & potentiam intervenit necessario proportio aliqua: ergo inter creaturam possibilem, & omnipotentiam, & intellectum divinum, quarum obiectum est creatura possibilis ab aeterno debet dari proportio illa. Tunc sic, ab aeterno intellectus divinus, & omnipotentia est aliquid actuale, & positivum: ergo & creatura possibilis debet esse aliquid actuale, & positivum.

17 Tertio principaliter probatur, quia negatio non est capax factibilitatis, quia id est capax factibilitatis, quod est capax terminandi positivum influxum; positivus vero influxus solum est ad positivum terminum: sed creaturae possibiles in statu possibilitatis sunt in se capaces factibilitatis, & ita denominantur à potentia infinita Dei: ergo in statu illo in se erunt quid positivum formale.

18 Confirmatur primo, quia id ipsum quod aliquando fit est quod est possibile: sed quod fit est homo positivus: ergo possibile est positivum quid. Antecedens sic probatur, quia quod actu est secundum omnia quae habet, actu fuit possibilis; alias non esset quia esset impossibilis, cum tunc fuerit non possibilis.

Confirmatur secundo, ens possibile connectitur cum omnipotentia Dei tanquam effectus cum sua causa: ergo est quid positivum, quia effectus causae positivae positivus est. Antecedens sic probatur, quia haec connectio non potest esse in ratione puri termini, quia hoc est relativorum, nec in ratione puri obiecti sine efficientia in illud, quia non potest aliquid connecti cum potentia effectiva, nisi ut fiat vel producat: ergo connectitur in ratione effectus.

19 Et si dicas illam possibilitatem non esse effectum Dei, sed existentiam connotatam ab ipso esse effectum.

20 Contra, quia vel illa existentia connotata est possibilis vel actualis; non actualis, quia possibilitas ab aeterno fuit, & non erat tunc existentia actu, in principio enim creavit Deus caelum, & terram; neque existentia possibilis, quia illa etiam negativa est sicut prima, & contra illam eadem difficultates emergunt ac contra primam: ergo falsa est solutio.

## SECTIO II.

*Nostri sententia ponitur, & probatur.*

21 **P**ossibilitas rerum quae ab aeterno fuit, & actu est, non est aliquid positivum: ita eximius noster Doctor Pater Suarez tom. 1. metaphysicae, disp. 31. sect. 2. & 3. num. 1. ubi sic ait: [Principio statuendum est essentiam creaturarum, seu creaturam de se, & priusquam à Deo fiat, nullum habere in se verum esse reale, & in hoc sensu praeciso esse existentiae essentiam non esse rem aliquam: sed omnino esse nihil: hoc principium non solum verum est, sed etiam certum secundum fidem:] sic Pater Suarez. Si ergo est certum secundum fidem in sententia illius, esse creaturam possibilem ab aeterno, & antequam fiant à Deo esse omnino nihil: ergo in sententia illius

secundum fidem est certum creaturam possibilem ab aeterno non esse aliquid positivum actu, & num. 3. sic ait. [Nec potuit in mentem alicuius Doctoris Catholici venire quod essentia creaturae ex se, & absque efficientia libera Dei sit aliqua vera res, aliquid verum esse reale habens distinctum ab esse Dei.] ubi totam positivam rationem excludit à possibilitate ab aeterno. Haec sententia communior est inter Doctores, quos ne prolixè procedam relinquo.

Probatur primo auctoritate Aristotelis 9. metaphysicae, c. 3. ubi sic ait: [Non entibus non attribuitur ipsum moveri: sed alias quasdam praedicationes ut intelligibilia, & desiderabilia esse, non entium enim quaedam potentia sunt, non autem sunt quoniam endelechia actu non sunt] quibus verbis expresse significat Philosophus ex his quae simpliciter sunt non entia quaedam esse talia, ut neque actu neque potentia entia sint ut chimera, quaedam vero, quae licet actu non sint entia, sunt tamen potentia entia, quoniam endelechiam actu non habent, id est actualem existentiam. Tunc sic, idem est positivum ac ens, ut supra latissime probatum manet: sed ex sententia Aristotelis ens possibile seu possibilitas entis quatenus non existit actu, seu non habet existentiam actu, non est ens: ergo actu non est quid positivum, quod confirmat clarissime ipse Philosophus lib. 2. metaphysicae, cap. 4. ubi sic ait. [Non ens autem in potentia ens endelechiam non habet, nihil igitur actu negatio entis est; endelechia enim affirmatio necesse est.] Quid clarius: quid evidentius ad nostram sententiam confirmandam? Philosophus enim his verbis, ens in potentia, vocat non ens, & negationem entis, & opponit illud endelechia, affirmando endelechiam esse affirmationem; sed affirmatio est quid positivum: ergo existentia quid positivum est: ergo si ens possibile contraponit existentiae in hoc quod tribuit existentiae: ergo possibilitas in qua non datur affirmatio, sicut datur in endelechia negatio erit, ac proinde non erit quid positivum; alias possibilitas esset affirmatio sicut endelechia, quod absolute negat Philosophus. Hanc eandem sententiam amplectitur Divus Thomas 1. parte, quaest. 5. art. 1. ad 1. his verbis. [Nam cum ens dicat aliquid proprie esse in actu, actus autem proprie ordinem habeat ad potentiam secundum hoc, aliquid dicitur ens secundum quod primo discernitur ab eo quod est in potentia tantum.] Quibus verbis Angelicus Doctor docet illud esse ens actu quod discernitur ab ente in potentia, ita ut ens in potentia non sit actu ens: sed ens est positivum: ergo ens in potentia non est positivum: sed potius negatio positivae rationis.

Clarius tamen Sanctus Anselmus in monologio 23 cap. 8. id docet his verbis. [Hoc igitur modo non inconvenienter intelligi potest, si dicitur creatrix essentia univversa fecisse de nihilo, sive quod univversa per illa facta sunt de nihilo, id est quae prius nihil erant nunc sunt aliquid.] Sic Anselmus, ubi manifeste nostram tueretur sententiam, docendo creaturas antequam factae fuerint à Deo nihil ex se habuisse, nullumque esse possedisse, quia nihil ex se erat, quia ex se solum negatio erat: sed positivum esse est verum esse: ergo creaturae antequam producerentur à Deo, nihil positivum habebant, quod aureis verbis docuit Divus Thomas quaest. de potentia, art. 5. ad 2. ubi sic



SUBSECTIO I.

*Ratione probatur nostra sententia.*

sic ait. [Ex hoc ipso quod quidditati esse tribuitur, non solum esse, sed ipsa quidditas creati dicitur, quia antequam esse habeat, nihil est nisi forte in intellectu creatis, ubi non est creatura, sed creatrix essentia.] Sic ille, ubi aperte docet ante productionem rerum nihil præcessisse in creatura, ut patet ex illis Verbis, quia antequam esse habeat nihil est, nisi forte in intellectu creatis; ubi non est creatura sed creatrix essentia: ergo si in sententia Divi Thomæ creatura antequam producat nihil erat, nullum esse habebat: sed esse est affirmativum, & affirmativum est positivum: ergo creatura antequam crearetur nihil positivum habebat, sed habebat suam possibilitatem antequam crearetur: ergo possibilitas non est positivum.

<sup>24</sup> Quod etiam docetur ac decernitur *cap. Firmiter de summa Trinitate, & fide Catholica*, ibi [creator omnium visibilium, & invisibilium, spiritualium, & corporalium, qui sua omnipotentia virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam spirituales, & corporales, Angelicam videlicet, & mundanam; sic ibi, ubi definitur omnem creaturam tam spirituales quam corporales productam esse ex nihilo. quæ verba universaliter verificanda sunt de omni creatura in toto rigore, quia continent decretum fidei; interrogo enim à vobis quid significant illa verba de nihilo? nam non possunt universaliter verificari, ita ut sensus sit de nihilo, id est ex nullo præsupposito subiecto; nam licet in hoc sensu possint verificari de creatura pura spirituali, quia hæc in toto rigore creata est, ac proinde nullum præsupposuit subiectum, ex quo produceretur, nihilominus creatura pura corporalis completa, v.g. animal, brutum, arbor, & reliqua, quæ in principio produxit Deus, non sunt producta ex nullo præsupposito subiecto, sed potius sunt producta ex materia prima præsupposita, quia non sunt creata toto rigore: ergo in alio sensu verificanda sunt verba decreti, sed non sunt in alio nisi in hoc, videlicet quod omnis creatura antequam facta sit, nihil fuerit ex se, ita ut nullum esse habuerit ante totalem productionem ipsius, neque præsupposuerit aliquid verè esse reale: sed esse positivum actuale est verum esse, & non potest dici esse nihil præcipue cum sit esse essentiale per vos; quod comparatum cum existentia excellentius est: ergo secundum decretum hoc non potest dici, creaturam, antequam crearetur, habuisse verum actuale positivum esse: sed antequam crearentur, & totaliter producerentur à Deo habuerunt esse possibile, & propriam possibilitatem: ergo esse possibile quod habuerunt ante productionem, & possibilitas quam præsupposuerunt antequam conderentur à Deo nihil est, hoc est nullum esse positivum est.

<sup>25</sup> Quibus concordat locus ille Evangelij Ioannis, *Sine ipso factum est nihil*, id est quod à Deo non est factum, nihil esse seu nullum esse positivum habere; unde recte dicunt sancti Patres, quidquid à Deo factum, non est vel Deum esse, vel nihil esse, Iustinus in *expofit. fidei*. Cyrillus lib. 1. in *Ioannem*, cap. 6. August. lib. 1. de *Trinitate*, cap. 6. sed esse possibile seu possibilitas creaturæ ut distinguitur ab existentia non est facta nec producta à Deo, & ex alio capite non est Deus: ergo nihil positivum est, sed potius negatio entis positivi.

R. P. Ideph. de Penafiel, Theol. Schol. Tom. I.

Primo omne esse actu positivum vel est à se <sup>26</sup> vel à Deo; sed illud esse positivum, quod fingitur impossibili ab æterno actuale nec est à se nec à Deo: ergo non est verum ens positivum actuale. Maior est evidens, quia ens adæquate dividitur in ens creatum, & increatum, quod idem est ac ens ab alio, ita ut præter hæc membra duo non detur aliud membrum dividens ut sic positivum, & actuale, & ratio evidens est; quia hæc duo entia dicunt ex diametro oppositionem; unde si absolute est ens positivum, debet esse aut creatum aut non creatum: sed non creatum ut purum negativum (de illo enim non loquimur) nec infinitanter, & indeterminatum, quia membrum dividens determinatum tale est: ergo debet esse ens increatum. Minor sic probatur quoad primam partem, quia ut supponunt adversarii illud esse possibile actuale positivum creaturæ est distinctum à Deo: ergo esse Dei, & creaturæ esse est duplex: sed utrumque est esse increatum: ergo utrumque est Deus; unde dabitur duplex Deus, quod est hæreticum, cum fides Catholica solum credat in unum Deum.

Secunda pars sic patet, quia omne ens ab alio <sup>27</sup> actuale est ens actualiter productum: sed illud esse positivum est actuale ab æterno, & est actuale necessarium, & indestructibile, possibile enim in hoc distinguitur ab existente, quia hoc est liberum, illud autem necessarium, & necessario habens esse: ergo ab æterno est aliquid productum, & creatum necessario à Deo extra Deum, quod continet duplicem apertam hæresim, ut ex consensu Ecclesiæ docet Pater Suarez. Prima est contra articulum illum, *in principio creavit Deus cælum, & terram*, ubi aperte dicitur, tempore incepisse omnia creata; nullumque fuisse ab æterno. Secunda quod aliquid necessario à Deo extra se producatur, & quod non solum Verbum divinum, & Spiritus sanctus necessario ab æterno procedant, sed etiam creaturæ.

Urgetur ac declaratur amplius tota hæc ratio, <sup>28</sup> quia possibilitas formaliter rerum creatarum fuit ab æterno: ergo possibilitas formaliter rerum non est ens reale positivum. Antecedens conceditur ab adversariis, & ratio illius est, quia si possibilitas non fuisset ab æterno, incepisset in tempore: ergo vel ante illud tempus fuisset impossibilis, & hoc non, quia implicat quod illud quod semel est impossibile aliquando fiat possibile; ideo enim chymæra per totam æternitatem, & per totum tempus subsequens erit impossibilis, quia semel ab æterno fuit impossibilis. Probatur prima consequentia, quia vel possibilitas fuit ab æterno ab alio vel à se; sed neque primum, neque secundum: ergo possibilitas non est quid positivum. Maior est evidens ex supradictis, omne enim ens est à se vel ab alio, quia vel est dependens & causatum, vel independens & incausatum; si dependens & causatum est ab alio, quia quidquid causatur, ab alio fit, & causatur; id enim intelligimus per ens ab alio; si independens, & incausatum à se; ideo enim Petrus, v.g. existens est ab alio causatus, quia est dependens, & ideo Verbum divinum est à se, & non ab alio causatum, K k k 2 quia



quia est independens. <sup>29</sup> Probatur minor quantum ad primam partem eisdem, quia nec Deus produxit illum necessario, quia Deus omnia extra se operatur, secundum consilium voluntatis suae, hoc est libere neque libere produxit, quia in principio omnia creavit. Probatur minor quantum ad secundam partem, si illud esse positivum creaturarum esset independens, esset Deus: atqui hoc est haereticum: ergo non est independens. Probatur maior, omne id quod est ens independens est à se & imparticipatum, & omne quod est huiusmodi non est secundum, sed primum ens: atqui omne quod est primum, & non secundum ens, est Deus: ergo illud quod est independens est essentialiter Deus. Maior patet, ideo enim Pater aeternus est à se imparticipatus, ac proinde primum, & non secundum ens, quia est independens. Minor patet, nam ideo Verbum Divinum est Deus essentialiter, & infinitum, quia esse essentialiter, & in sua essentia est à se, & imparticipatum, & ideo Petrus est finitus essentialiter, quia est dependens, & participatus, vel dicant adversarii unde poterit probari quod Deus sit infinitus secundum essentiam, nisi quia habet esse à se, & imparticipatum essentialiter, & quare creatura non possit esse infinita simpliciter secundum essentiam, nisi quia est participata essentialiter, ut constat ex dictis supra: hoc enim est medium vnicum, quo Theologi probant Deum esse infinitum simpliciter, & secundum essentiam, ut videre est in eximio nostro Doctore *disp. 3. Metaphysicae*.

<sup>29</sup> Ergo cuicumque applicetur hoc medium debet sequi idem consequens; patet evidenter consequentia, illud est medium necessarium, & infallibile in demonstratione, ex quo in omni materia sequitur idem consequens: sed esse à se, & imparticipatum essentialiter est medium necessarium, & infallibile in demonstratione, quia probatur Verbum Divinum esse ens infinitum secundum essentiam, ut asserunt omnes Doctores Theologi: ergo in quacumque materia hoc medium necessario debet inferre idem consequens. Maior est evidens, ideo enim ens est medium necessarium, & infallibile in demonstratione ad colligendam unitatem, & veritatem, quia in quacumque materia infert idem consequens ut est ens: ergo unum, & verum, & ideo animal non est medium necessarium, & infallibile in demonstratione ad colligendum risibilitatem, quia licet in homine necessario connectatur cum risibilitate, nihilominus non infert idem consequens in omni materia, ut est animal: ergo risibile, & ideo negari potest, concessio antecedenti, in quacumque materia, & ratio horum est evidens, quia medium in demonstratione praecipue metaphysica ita connectitur cum consequenti, ut adhuc per potentiam Dei absolutam aliter fieri non possit; imo contrarium implicet apertam contradictionem.

<sup>30</sup> Sed esse à se, & imparticipatum essentialiter secundum omnes Doctores Theologos est medium infallibile, & necessarium in demonstratione metaphysica ad colligendam infinitatem Dei secundum essentiam: ergo in omni materia debet inferre idem consequens, & si in aliqua materia non infert, etiam in Deo poterit negari: sed possibile per vos est ens reale positivum essentialiter à se, & imparticipatum: ergo est infinitum simpliciter secundum essentiam; Ex quo ulterius sequitur quod sit existens à se, quia omne imparticipatum essentialiter est tale quod est parum tutum in fide.

Dices illud esse possibile positivum actuale esse se increatum, & imparticipatum secundum essentiam, non tamen secundum existentiam; quia secundum illam creatum est, & ideo non esse Deum, Deus enim nullo modo creatur.

Sed contra primo: ergo illud esse possibile essentialiter est infinitum. Patet consequentia, omne illud quod est imparticipatum, & à se essentialiter sub ea ratione, qua est imparticipatum, est infinitum essentialiter: sed Petrus v. g. secundum essentiam est imparticipatum, & à se essentialiter: ergo secundum essentiam est infinitum essentialiter. Maior est evidens, ideo enim Deus non solum secundum existentiam: sed etiam secundum essentiam, & secundum quodcumque praedicatum illius est infinitum essentialiter, quia secundum omnia illa praedicata est essentialiter imparticipatum, & à se: sed Petrus secundum essentiam positivam realem actualem est essentialiter imparticipatus, & à se: ergo Petrus secundum essentiam essentialiter est infinitus: ergo est Deus secundum essentiam.

<sup>33</sup> Urgetur amplius ac declaratur, quia in existentia Dei, & datur ratio communis existentiae, & differentia à se, qui conceptus saltem virtualiter à parte rei distinguuntur, quia per communem conceptum existentiae convenit à parte rei cum existentia creata, & non convenit à parte rei cum existentia creaturae per differentiam à se, ut ex terminis patet: interrogo à vobis quare existentia Dei sit infinita essentialiter: an per communem conceptum existentiae, an per differentiam à se; non primum, quia alias etiam creatura in qua datur conceptus communis existentiae esset infinita essentialiter, quia quidquid convenit superiori, convenit omni contento sub illo, secundum illud axioma, dici de omni: ergo secundum; unde haec est vera causalis, quia existentia Dei est à se, & imparticipata est essentialiter infinita: sed propositio causalis aequivalens universali: ergo haec est vera propositio, omne illud quod est à se, est infinitum essentialiter, praecipue quando causalis illa nullo modo fundatur in subiecto propositionis: sed solum in praedicato, ita ut ratione solius praedicati conveniat subiecto formalitatis aliqua, de qua disputatur, & tale praedicatum est medium infallibile ad inducendam talem formalitatem in subiecto, v. g. si haec esset vera causalis, ideo homo est risibilis, quia substantia esset vera haec universalis, omne id quod est substantia est risibile; unde solum ideo omni illi subiecto conveniret risibilitas, quia conveniret causa infallibilis risibilitatis, quae per illam causalem propositionem explicatur; imo quia falsam esse colligimus illam universalem propositionem, omnis substantia est risibilis, necessariam colligimus falsam esse illam causalem aequipollentem, homo ideo est risibilis, quia est substantia.

Sed essentia Dei est à se, & imparticipata: ergo essentia ut distinguitur ab existentia propria, est infinita essentialiter, quia cui convenit causa necessaria alicuius effectus, convenit illi effectus talis causa: sed essentia Dei (supponamus per possibile vel impossibile distinguere à propria existentia, quia ad praesens institutum est impossibile extirpationem) convenit aeternitas, quae in existentia Dei trinfecum) convenit aeternitas essentialiter: ergo talis essentia ut distinguitur ab existentia Dei est infinita



## Quæst. II. Quid sit possibile, positivumne? 445

infinita essentialiter, sicut quia rationalitas est causa necessaria cui animal in homine sit animal intellectivum in omni subiecto, in quo fuerit rationalitas, dabitur ratio intellectiva, & quia ipsa rationalitas in homine est causa necessaria risibilitatis, ubicumque fuerit rationalitas dabitur risibilitas sive subiectum rationalitatis sit homo, sive lapis, &c. sed existentia Dei convenit infinitudo essentialiter non propter rationem existentiam, sed potius propter rationem aseitatis: ergo in quocumque subiecto fuerit aseitatis, erit infinitum essentialiter, ratione talis aseitatis, ut v. g. quia sapientia Dei, & iustitia ipsius quatenus distinguuntur ab existentia, sunt à se, sunt infinita essentialiter, propter quam rationem etiam essentia Dei, cui convenit aseitatis, convenit etiam infinitudo essentialiter, quod sic patet, nam licet essentia divina conveniret existentia vel aliud quodcumque prædicatum, non esset illa essentia infinita, & solum redditur infinita, quia habet prædicatum aseitatis, non ratione existentia, sed ratione sui, nam sicut modo nostro concipiendi in casu posito impossibile essentia esset prior propria existentia, ita prius deberet habere infinitudinem essentialiter, quia quod est prius in ea ratione, quæ prius est non dependet à posteriori, neque constituitur ab illo: sed ratio formalis infinitudinis est aseitatis: ergo prius haberet aseitatem essentia divina, quam existentia, sicut nostro modo intelligendi prius est essentia divina à se, & infinita quam immensitas, & voluntas divina, unde male assereret, qui diceret essentiam divinam constitui in esse infinita essentialiter per infinitatem immensitatis, & voluntatis, & ratio non solum esset, quia essentia est prior ut diximus, sed etiam quia infinitudo essentia nostro modo intelligendi est distincta ab infinitudine attributi, quæ non est prædicatum essentialiter Dei.

Clarius patet in relationibus divinis, relatio enim quæcumque est à se, & infinita, & nihilominus non potest constituere essentiam in esse à se, & infinite, quia infinitudo relationis est infinitudo notionalis, & posterior ipsa existentia: atqui infinitudo existentia non est infinitudo essentia, sed potius infinitudo posterior essentia: ergo non potest constituere essentiam in esse à se essentialiter, & infinito: itaque sicut existentia divina, & voluntas divina, quia habent aseitatem, sunt infinita; ita etiam essentia divina est infinita essentialiter, quia habet propriam aseitatem essentialiter. Unde sicut immensitas divina non constituit essentiam divinam in esse essentia divina, sed potius in esse immensa, & voluntas divina non constituit essentiam in esse essentia, sed potius in esse volentis, & sicut aseitatis, & infinitudo voluntatis, & immensitatis non constituunt essentiam divinam in esse à se, & infinite: ita etiam licet existentia constituat in esse existentis, non tamen constituit in esse essentia, ac per consequens neque infinitudo, & aseitatis existentia constituit essentiam in esse infinita, & à se, sed potius sicut existentia per suam aseitatem est infinita, ita etiam essentia per suam immediatam aseitatem erit infinita.

35 Ex quibus evidenter colligitur Deum non esse infinitum essentialiter, quia habet existentiam à se, sed potius, quia habet essentiam à se, hoc est quia inter prædicata essentialia habet prædicatum aseitatis.

36 Ergo quicquid fuerit à se, ea ratione qua fuerit

à se, erit infinitum: sed Petrus secundum essentiam positivam actualem, est à se impatiens, & independens etiam si habeat existentiam dependentem, & participatam: ergo secundum essentiam erit infinitus etiam si secundum existentiam sit finitus.

Sicut è contra in sententia adversariorum v. g. Basilij Ponze, & aliorum Thomistarum qui patrocinantur huic opinioni, aliquid potest esse quoad essentiam finitum, etiam si quoad existentiam sit infinitum; nam finitudo aut infinitudo existentia in sententia horum, non conducit ad finitudinem aut infinitudinem essentia, v. g. humanitas Christi Domini, ut ipsi adversarii assunt non solum subsistit, sed etiam existit existentia Verbi divini, quæ est infinita essentialiter, & nihilominus humanitas est finita secundum essentiam: ego essentia finitudini non obest infinitudo existentia, sicut pluralitati essentiarum non obest unitas existentia, in casu quo Verbum divinum assumeret naturam humanam, & Angelicam simul: tunc enim duplex essentia creata existeret per unicam existentiam divinam: ergo pluralitas essentia nullo modo impediretur per unitatem existentia, sicut neque finitudo essentia per infinitudinem existentia: ergo è contra, quia oppositum est eadem disciplina, & ratio finitudo existentia Petri poterit compati cum infinitudine essentia Petri, neque poterit obesse illi, quia quod non obest d. finitudo alicuius non obest definito ipsius: sed quod existentia Petri sit finita, quia ab alio dependet, non facit quod essentia Petri non sit à se independens, & impatiens: ergo non tollit ab ea infinitudo per existentiam illius quæ est definitum entis à se independens, & impatiens.

Dices illam existentiam humanitatis Christi non esse propriam, & connaturalem humanitati: sed potius alienam, & supernaturalem illi, ac per consequens ex tali existentia non bene argui infinitudinem essentia humanitatis: si autem existentia esset propria recte procederetur argumentum.

Sed contra, quia ex hoc ipso sic argumentor contra ipsos, & probo existentiam divinam esse infinitam, & à se, quia essentia divina est infinita, & à se, quia essentia non datur propter existentiam, sed potius existentia propter essentiam; ex quo sequitur essentiam exigere, & petere ex se proportionatam existentiam sibi, quia existentia propria essentia rei debet esse in eodem ordine cum essentia, cuius est primo, & per se existentia, unde si essentia est supernaturalis, existentia illius non est naturalis, sed supernaturalis ut videre est in unione hypostatice, & gratia habituali, & reliquis habitibus, & actibus supernaturalibus. Item si essentia rei est negativa, aut privativa, existentia illius non debet esse positiva, sed potius negativa, ut videre est in cæcitate, tenebris, & morte. Tandem si essentia est spiritalis, v. g. Angeli existentia illi proportionata, & connaturalis non potest esse corporea; & è contra si essentia est corporea, existentia non potest esse spiritalis, sicut si essentia est divina, existentia sibi propria debet esse divina, & non creata, & si essentia est creata ut humanitatis Christi, etiam existentia propria debet esse finita, & limitata: itaque in eodem ordine sunt essentia, & existentia: sed essentia creaturæ, v. g. Petri est à se independens, & impatiens: ergo existentia illi debita debito connaturalitatis,

K k 3 litatis,



litis, illique proportionata est independens, & à se, sicut ipsa essentia: ergo absolute est Deus infinitus; nam si in hac materia non convincitur aperte, & evidenter talem existentiam proportionatam essentiae debere esse à se independentem; & imparticipatam, ac increatam; quia est essentia essentia imparticipata independentis, & increata; nullo modo poterit demonstrari in divinis dari existentiam increatam, imparticipatam, & infinitam, ex eo quod sit essentia essentia infinita, & imparticipata: sed evidenter demonstratur à priori ex essentia independenti, imparticipata, & increata Dei existentia ipsius independentis, & imparticipata: ergo similiter ex essentia creaturae independenti, increata, imparticipata, & à se evidenter demonstratur existentia ipsius creaturae independentis, increata, imparticipata, & à se, cum par sit utriusque ratio, neque maior ratio detur vnius quam alterius.

39 Quia ut bene ait Averroes 5. *Metaph.* in quo maxime laudatur à Divo Thoma 2. *contra Gentes*, ab eadem ratione formali existente in duplici subiecto non possunt effectus oppositi oriri, v. g. si ab albedine existente in pariete oritur in ipso segregativum visus, nullo modo potest ab albedine existente in homine oriri tanquam effectus congregativum visus, & si ex informatione lucis sequitur in aëre lucidum, tanquam effectus nullo modo potest ex informatione eiusdem, vel similis lucis oriri tanquam effectus in sole tenebrosus: sed potius sequitur effectus in sole lucidum, ut in aëre; tum sic, ratio positiva independens à se existens in essentia Dei est ratio formalis quare datur in Deo existentia infinita perfecta independens & à se: ergo ex simili ratione formali scilicet ex independentia, & positiva ratione à se existente in essentia creaturae possibilis, nullo modo poterit sequi existentia limitata, dependens, & finita, quae maxime opposita est existentiae Dei: sed potius sequitur necessario existentia independens à se infinite perfecta, sicut in Deo; unde si consequens illud verum est in Deo ex illo antecedenti, ex eodem antecedente simile consequens erit verum in creatura, praecipue in nostra sententia; ubi non distinguitur esse essentiae positiva, & esse existentiae, quare sicut argumento bene potest demonstrari tam intellectum, quam voluntatem, tam misericordiam, quam iustitiam divinam esse perfectiones infinitas, quia sunt perfectiones entis, & essentiae independentis, imo quaecumque earum esse ipsum Deum, quia cum illa essentia Dei sit illimitata, quia à se, & independens debet habere sibi identificatam omnem perfectionem, ac proinde quaecumque perfectio erit Deus, & esse infinita independens, & à se: sed essentia creaturae possibilis est independens, & à se positiva; ergo infinita, & illimitata: ergo includit identificatam sibi omnem perfectionem, quia ipsa identitas perfectionum perfectio est: sed existentia est perfectio essentiae, imo maxima perfectio illius: ergo habet sibi identificatam existentiam: ergo existentia est ipsa essentia à parte rei: sed illa essentia est infinita, & independens: ergo existentia quae est idem cum illa essentia, erit infinita, & independens, sicut convincitur esse infinitam existentiam Dei, quia identificatur cum essentia infinita.

40 Vergetur, & rogo utrum alter conceptus qui est essentia fiat secundum se tam vere ac proprie, quam sit existentia: an vero solum fiat existens,

sicut homo per dealbationem non fit in esse hominis: sed tantum fit albus vel in esse albi; si dicatur primum: ergo aliquid factum ab aeterno erit vere quod est haereticum; si vero dicatur possibilitatem positivam, seu essentiam non fieri in se: sed tantum fieri existentem; sic arguuntur: ergo absolute creatura dependet tantum à Deo accidentaliter, & non per se; sed hoc est absurdum: ergo, &c. Maior probatur, illud dependet accidentaliter ab alio, quod dependet solum in aliquo accidenti suo: sed si creatura dependet in aliquo accidenti suo, ergo dependeret solum in aliquo accidenti suo: ergo dependeret accidentaliter à Deo. Maior est evidens, ideo enim homo dependet accidentaliter à sole, quia dependet ab illo solum in accidente, scilicet in calore producto à sole in ipso homine: minor probatur manifeste in principiis contrariis, creatura dependet à Deo solum in existentia: sed existentia est accidentaliter respectu creaturae in sententia illorum est extra essentiam rei: ergo creatura dependet à Deo in aliquo accidenti: ergo dependet accidentaliter, & non per se à Deo.

Confirmatur, quia creatura non diceretur fieri absolute à Deo, neque ab illo produci: ergo falsa est solutio; antecedens probatur, ideo anima rationalis non dicitur absolute fieri à causa secunda, nisi addendo illud ut vivit, hoc est quod fit vniu illius, & sicut Verbum Divinum dicitur fieri hominem, quia sit humanitas, quae illi convenit quasi accidentaliter, & cum qua coniungitur non includendo illam intra suam essentiam: ergo similiter Petrus non fiet à Deo homo animal rationale, &c. sed fiet existens solum, hoc est existentia illius: ergo homo non est essentialiter creatura: consequentia patet, illud non est essentialiter creatura, quod non est essentialiter dependens, & participatum: sed homo essentialiter non est dependens, & participatum: ergo non est essentialiter creatura, quod quid absurdum excogitari potest, quod à viro non solum Catholico, sed etiam à Metaphysico non est perceptibile.

Confirmatur ulterius, vel antequam fiat Petrus 41 v. g. sola existentia illius exercita est in potentia vel essentia illius etiam est in potentia; si primum: ergo essentia est actualis: ergo aliquid ens actualiter fuit ab aeterno independens extra Deum, & sic creatura haberet aliquid non receptum ab ipso Deo; imo haberet id quod est praecipuum, scilicet essentiam, & reciperet aliquid minus praecipuum, nempe existentiam, & per consequens posset gloriari quod haberet suum esse, & praecipuum esse, non à Deo contra illud Divi Pauli, quid habes quod non accepisti? & si accepisti quid gloriaris, quasi non acceperis? ergo ut haec omnia absurda vitentur, dicendum est, quod etiam essentia positiva actualis, antequam fiat sit solum in potentia activa creatoris: ergo antequam fiat, datur negatio illius: ergo non potest dici de illa, quod sit; patet consequentia, ideo non potest dici quod sit existentia exercita antequam fiat, quia tantum est in potentia, sicut forma in potentia absolute non est forma; sed essentia antequam producat solum est in potentia: ergo quando res producit, absolute non est: ergo quando res producit, producit quicquid est in illa non solum sententiale, sed etiam essentiale: nam si solum secundum existentiale provt distinctum in vestra sententia



sententia ab essentia realiter fieri absolute dicitur creatura non facta neque producta à Deo.  
43 Quia rem fieri secundum aliquem conceptum ab illa distinctum, potest sine dubio componi cum negatione absoluta productionis, & effectus sui essendo in se Deus: patet in Verbo Dei incarnato (ut supra diximus) quod factum est homo adeoque dependens secundum quod homo est, quod tantum significat humanitatem unitam Verbo dependere hierique à Deo; non autem ipsum Verbum, ac per consequens manet absolute in esse Dei, quia quatenus Verbum est, est independens: ergo similiter licet essentia Petri, v. g. fiat existens, ipsa tamen in se non est facta; nec dependens, quod est summum absurdum; quia alias Petrus aut forma non fieret, nec dependeret à Deo magis quam Verbum divinum; quia Petrus nihil aliud est quam sua essentia positiva actualis; existentia autem est extra essentiam rei, distinctaque ab ipsa essentia à parte rei, ut ipsi contrarii asserunt, ac per consequens talis existentia erit extra Petrum, sicut humanitas est extra Verbum, & ideo asserunt hi auctores nullam creaturam esse suam esse: ergo Petrus non fieret magis in se, quam Verbum factum est: sed factus est existens Petrus, sicut Verbum factum est homo, quod nihil aliud est, quam fieri aliquid prædicatum ab ipso distinctum, non tamen fieri rem in se ipsa; hoc autem est contra illa loca Scripturæ: omnia per ipsum facta sunt.

44 Sequeretur etiam positivam essentiam postulare actionem, & dependentiam actualem à Deo, ut solum ponatur existens, hoc est secundum maxime accidentali illi in vestra sententia; non vero ut absolute ac simpliciter sit ens positivum, & in se, & re ipsa sicut non dependet homo ab actione medici, nisi secundum sanitatem, quod est absolute hominem non dependere à medico, ex eo quod dependeat ab illo in quodam maxime accidentali homini, ita similiter homo non dependebit à Deo absolute: sed solum maxime accidentaliter, quia dependet ab ipso in existentia, quæ accidentalis homini est, ut vos asseritis: sed hoc est summum absurdum, alias creatura nullo modo distingueretur essentialiter à Deo, licet distingueretur existentialiter, & in vestra sententia accidentaliter, quia in vestra sententia existentia per quam solum distinguitur à Deo est accidentalis essentia: cum possit adesse, & abesse ab essentia sine corruptione illius.

45 Sequela sic demonstratur, quia licet alicui rei secundum aliquam rationem accidentalem, & quæ sit extra essentiam illius conveniat aliquod prædicatum; si convenit illi secundum essentiam prædicatum essentiale alterius rei, illæ duæ res non distinguntur essentialiter: sed Petro convenit prædicatum proprium Dei: ergo etiam si illi conveniat secundum existentiam ratio dependentiæ, non distingueretur essentialiter à Deo. Maior meo videri est evidens, quia ex eo quod Petro secundum essentiam, & essentialiter convenit prædicatum essentiale hominis, & proprium illius licet secundum albedinem conveniat illi aliquod accidens, est essentialiter homo eiusdem rationis cum alijs hominibus, & non distinguitur essentialiter ab Æthiope, & licet Verbo divino conveniat secundum modum unionis ad humanitatem ratio dependentiæ, & participati,

quia tamen secundum suam essentiam essentialiter est independens à se & imparticipatum, essentialiter est Deus: ergo si Petro convenit essentialiter secundum essentiam, prædicatum essentialiter, & proprium Dei erit Deus, & si non est idem, erit alius Deus; sicut quia Petro convenit essentialiter prædicatum essentiale proprium hominis, & quia non convenit idem prædicatum, quod convenit Ioanni; est homo distinctus à Ioanne: ergo similiter Petrus erit Deus distinctus à Deo, quod est hæreticum.

Vergetur, quia creatura omnino distinguitur à parte rei à Deo, & sic est vera hæc propositio, quicquid est in creatura non est Deus, unde creatura non solum distinguitur à Deo secundum existentiam: sed etiam præcipue secundum essentiam; unde Petrus non solum existentialiter: sed etiam essentialiter differt à parte rei à Deo, alias Petrus essentialiter esset Deus, & existentialiter esset creatura, quod est ridiculum: ergo tam essentialiter, quam existentialiter non habet constitutum Dei; quod est esse increatum, imparticipatum, independens, & à se, ne sit Deus v. g. Pater æternus est Deus sicut filius, quia habet pro essentia divinitatem (quæ nihil aliud est, quam esse imparticipatum, independens, positivum, & à se) sicut filius: ergo si possibile habet pro essentia esse positivum actuale ab æterno à se independens, & imparticipatum, ac per consequens increatum, habebit pro essentia divinitatem, sicut filius, & Pater æternus, & sic erit essentialiter tam Deus, quam Pater æternus, & filius; sicut Gabriel est tam essentialiter Angelus, aut Spiritus sicut Uriel, aut Michael, quia habet pro essentia entitatem substantialem incorpoream, completam, & perfecte intellectualem, sicut ipsi.

#### SVBSECTIO XI.

Ex principijs Adversariorum refutatur eorum solutio.

Efficaciter sic labefacto solutione supra datam, quia si standum est principijs contrariorum, Petrus non solum secundum essentiam: sed etiam secundum existentiam, est independens, imparticipatus, increatus & à se: ergo nulla est solutio illa, qua asseritur ideo Petrum non esse Deum, quia licet non dependeat quoad essentiam, dependet tamen quoad existentiam. Probatur antecedens, omne illud quod est possibile sub ea ratione, qua possibile est per vos est independens: sed existentia exercita propterea exercita est possibilis: ergo existentia propterea exercita est independens. Maior est sententia adversariorum, quia possibilitates rerum sunt à se, & independentes. Minor est etiā evidens in illorum principijs, quia omne illud quod non repugnat existere per vos est possibile: sed existentia exercita propterea exercita non repugnat existere: ergo existentia exercita propterea exercita est possibilis. Maior est definitio possibilis, quam nobis opponunt omnes adversarij ad probandam ens possibile esse quid positivum, vel dicant quid possibile in illorum principijs. Minor est luce meridiana clarior, quia si existentia exercita propterea exercita repugnaret, esset impossibilis, quod implicatorem est, est enim ipsissima ratio formalis existendi;



existendi: ergo non repugnat existere: ergo existentia exercita: provt exercita est possibilis. Ex quo sequitur secundum principia adversariorum tum quod sit independens à se, & imparticipatum, quod fuerit ab æterno existentia exercita: provt exercita, quia omne illud quod est possibile, sub earatione qua est possibile, idem ipsum formalissime secundum adversarios fuit ab æterno: sed existentia exercita, provt exercita est possibilis: ergo existentia exercita, provt exercita eadem formalissime fuit ab æterno, quod est aperta hæresis.

Et si dicas quod licet existentia fuerit ab æterno non tamen provt exercita.

48 Sed contra, vel existentia exercita: provt exercita addit aliquid reale supra existentiam, vel nihil addit reale: si nihil addit reale: ergo existentia exercita provt exercita secundum suam realitatem fuit ab æterno, quia existentia fuit ab æterno: sed existentia est existentia exercita provt exercita, quia est eadem formalissima entitas: ergo existentia exercita provt exercita fuit ab æterno.

49 Vel existentia provt exercita addit aliquid reale supra existentiam: sed quicquid addat fuit possibile: ergo fuit ab æterno illud additum reale. Probatur minor, illud quod addit vel est ens reale, vel non est ens reale, non secundum, quia existentia exercita provt exercita est aliquid reale: ergo illud quod addit est ens reale: ergo est possibile. Pater consequentia, illud quod addit non repugnat esse realiter, quia non est impossibile, alias non adderetur, quia quod additur potest addi, & impossibile non potest addi: sed omne illud, quod repugnat esse realiter est possibile: ergo illud quod addit existentia exercita, provt exercita supra existentiam est possibile: ergo illud quod addit existentia exercita provt exercita, supra existentiam fuit ab æterno: sed illud quod addit existentia exercita ut tali, supra existentiam, est ratio formalis exercitæ provt exercita: ergo existentia exercita provt exercita fuit ab æterno independens à se, & imparticipata, quia ab æterno nihil fuit productum, & dependens à Deo, quia quicquid productum est in tempore, est productum, & in tempore fuit dependens secundum illud *Gen. 1* In principio creavit Deus cælum, & terram.

50 Dices existentiam exercitam addere supra existentiam statum actualitatis, qui non fuit ab æterno.

Sed contra, & redit idem argumentum, ille status est ens reale, quia non est aliquid fictitium per intellectum, quia de his fictionibus non loquimur: ergo est possibilis: ergo secundum totum suum esse fuit ab æterno idem ipse formalissime status actualitatis. Pater consequentia, per vos illud ipsum esse formalissime, quod est actu, & est possibile fuit ab æterno: sed ille status formalissime actualis est possibilis: ergo idem esse formalissime illius status fuit ab æterno: ergo res non solum secundum esse essentia, sed etiam secundum esse existentia fuit ab æterno independens à Deo, quod est hæreticum.

Et si dicas quod status ille non est possibilis formaliter, sed actualiter.

51 Sed hæc solutio manifestè est contra tua principia, quia omne non repugnans per te est possibile: sed ille status est non repugnans esse realiter: ergo est possibilis, præcipue quia omne id quod

potest fieri à Deo, est possibile, quia possibile, & potentia Dei se inferunt necessario, ideo enim chymæra non est possibilis, quia non potest fieri à Deo: unde si per impossibile posset fieri, esset siue dubio possibilis: ergo omne quod potest fieri à Deo, est possibile: sed ille status actualis potest fieri à Deo: ergo potest fieri: sed ille status actualis per vos dependet à Deo, & actu fit: ergo potest fieri à Deo, quia si non posset fieri à Deo Deus non posset facere illum, quia posset facere ex parte Dei, & posset fieri ex parte creatura sibi mutuo correspondent: ergo si Deus posset facere illum statum, quia illum statum facit Deus, ille status poterit fieri à Deo, quia actu fit ab illo: ergo ille status non solum est actualis, sed etiam possibilis: sed quidquid est possibile est ab æterno, & quicquid est ab æterno est à se independens, & increatum: ergo status ille actualis est independens, & à se, & c.

Et si dicas quod etiam si sit possibilis ille status, non tamen fuit ab æterno in se: sed in suo connotante, idem dic de essentia actuali, quæ non distinguitur ab existentia, & ab illo statu, ut dicam infra.

Dices quod status ille fuit ab æterno, non actualiter sed in potentia.

52 Sed contra primo, quia redit idem argumentum, cum id per quod constituitur in esse actualis, & per quod distinguitur ab esse in potentia, fuerit ab æterno: sed quoties datur in aliqua duratione id per quod res constituitur in esse actualis, & per quod distinguitur ab esse in potentia, est ipsa res actualiter, & non in potentia tantum: ergo ab æterno res fuit non solum in potentia, sed etiam actualiter, & in esse actuali. Probatur maior, id per quod res est actualis, & per quod distinguitur ab esse in potentia, est ens reale non repugnans, & per consequens possibile: sed omne possibile per vos fuit ab æterno idem ipsum formalissime, quod nunc est actu: ergo illud per quod status ille constituitur in esse actuali, & per quod distinguitur ab esse in potentia, fuit ab æterno formalissime idem ipsum secundum omnem realitatem, quam modo habet. Probatur minor præcipue, ideo Petrus nunc non est in potentia, sed in actu, quia datur id per quod constituitur in esse actualis, & per quod distinguitur ab esse in potentia, & ratio est evidens, quia quoties in aliquo subiecto apto nato habere aliquem effectum formalem datur forma illius effectus formalis, necessario etiam datur talis effectus formalis: sed ab æterno datur id per quod constituitur res in actu, & per quod distinguitur ab esse in potentia, quæ est forma constitutiva effectus formalis actualitatis: ergo vel ab æterno fuit res actualiter, vel non omne illud, quod non repugnat idem ipsum formalissime fuit ab æterno, quod nos intendimus, & adversarij negant.

53 Contra secundo, quia vel quando dicitur quod res fuit in potentia, tum intelligitur quod ab æterno fuit potentia activa potens producere illud esse: sed cum negatione actuali illius esse, si- cut modo dicitur, quod existentia exercita Antichristi nunc est in potentia, id est datur potentia in Deo ad producendam illam in tempore, & ex alio capite nunc datur negatio illius existentia exercita: quare absolute dicitur, quod non datur existentia,



existentia, & non potest dici quod datur nisi cum addito illo in potentia, quod est additum alienans, sicut quando dicitur, quod visio beatifica creata est substantia, & Deus in representando non potest dici absolute, quod est substantia, & Deus: sed potius in propositione absoluta est negandum esse Deum & substantiam, & est affirmandum esse accedens creatum, vel quando res dicitur quod fuit in potentia, intenditur quod præcesserit aliqua potentia passiva, receptiva illius rei, ad modum quod dicitur, quod forma materialis quando non est actualiter, est in potentia, hoc est datur potentia passiva in materia prima cum negatione actuali illius forme: sed cum actualitate materiæ primæ: & hoc non, quia hoc est quod probat argumentum manifeste meo videri.

55 Nimirum quod si fuit essentia rei ab æterno, deberet esse necessario existentia exercita provt exercita, & status actualitatis provt talis formalissime: sed hoc implicat, & est hæreticum: ergo essentia rei non fuit actu. Probatur maior, omnia principia, quibus adversarij probant quod fuit ab æterno actualitas essentia, probant etiam fuisse actualitatem existentia, vel nihil probant, quod certius existimo: ergo, &c.

56 Probatur antecedens, applicando præcipua argumenta contraria, ideo per vos datur ab æterno actualitas essentia, quia de illa sunt propositiones æternæ veritatis: sed etiam de actualitate existentia sunt propositiones æternæ veritatis: ergo actualitas existentia exercita fuit ab æterno. Probatur minor, hæc est propositio æternæ veritatis de existentia creaturæ: actualitas existentia exercita provt exercita non repugnat, quia si semel repugnat, semper repugnabit, unde si ab æterno repugnaret, non posset produci in tempore, ut contrarij argumentantur; item hæc etiam sunt propositiones æternæ veritatis, actualitas existentia exercita provt exercita, est ens reale positivum essentialiter. Actualitas existentia exercita provt exercita est ens dependens à Deo: ergo de actualitate existentia exercita provt exercita sunt propositiones æternæ veritatis. Probatur antecedens, illa est propositio æternæ veritatis, in qua prædicatur de subiecto aliquo prædicatum essentialiter: sed in his propositionibus supradictis de existentia exercita provt exercita, prædicantur prædicata essentialia: ergo sunt propositiones æternæ veritatis. Maior est evidens; ideo enim hæc est propositio æternæ veritatis, homo est animal rationale, quia in illa prædicatur de subiecto prædicatum essentialiter. Minor etiam est evidens: ergo de actualitate existentia exercita provt exercita sunt propositiones æternæ veritatis: ergo actualitas existentia exercita provt exercita fuit actualiter ab æterno, quod est hæreticum: ergo ex eo quod de aliqua entitate possint fieri propositiones æternæ veritatis, non sequitur quod fuerit actualiter ab æterno talis entitas.

57 Deinde essentia mea possibilis connotavit ab æterno existentiam exercitam provt exercitam, quia connotavit existentiam quæ in tempore extrahit illam ab statu possibilitatis ad statum actualitatis: sed existentia, quæ extrahit in tempore meam essentiam ab statu possibilitatis est existentia exercita provt exercita: ergo mea essentia possibilis connotabat existentiam exercitam provt exercitam: ergo existentia exercita

provt exercita fuit ab æterno, quia secundum adversarios non potest dari in aliqua duratione connotans sine connotato: sed ab æterno fuit connotans, existentiam exercitam provt exercitam: ergo ab æterno fuit existentia exercita provt exercita, quæ est connotatum illius.

Præterea cognovit Deus ab æterno existentiam meam exercitam provt exercitam: ergo ab æterno fuit existentia mea exercita provt exercita. Antecedens est evidens, quia idem cognovit Deus ab æterno quod cognoscit in tempore, quia nihil Deus cognoscit in tempore, quod non cognoverit ab æterno actu: sed in tempore cognovit Deus existentiam exercitam provt exercitam: ergo ab æterno actu cognovit Deus existentiam exercitam provt exercitam: ergo fuit ab æterno, existentia exercita provt exercita. Patet consequentia eodem tuo argumento, quia ideo fuit ab æterno res, & conceptus obiectivus per te, quia illum cognovit Deus ab æterno: sed etiam cognovit Deus ab æterno existentiam exercitam provt exercitam: ergo ab æterno fuit existentia exercita provt exercita.

Præterea inquiri quare existentia exercita provt exercita non repugnet, & quare repugnet chymaræ: Dices quod non repugnat ex se: ergo ab æterno fuit actualitas existentia exercita provt exercita. Patet consequentia, ideo per te datur ab æterno actualitas essentia, quia essentia ex se non repugnat: sed existentia exercita ex se non repugnat: ergo ab æterno fuit actualitas existentia exercita, quod negas, & est negandum iuxta principia nostræ fidei, in quo tuis principijs contradicis; & si dicas quod existentia exercita non repugnat ratione omnipotentia producentis illam in tempore, & ideo non fuit actualitas illius ab æterno, idem ego dicam de essentia quod non repugnat ratione omnipotentia, & ideo non fuit ab æterno, sed tota incipit esse in tempore, & quicquid tu responderis his argumentis de existentia exercita, respondebo ego tuis argumentis de essentia.

Deinde contra aliquos qui asserunt existentiam, & essentiam actualement non distinguere, & nihilominus asserunt effectum positivum quoad essentiam positivam fuisse ab æterno: probabo manifeste meo videri etiam fuisse ab æterno existentiam, quia essentia actualis per vos non distinguitur ab existentia exercita provt exercita, sed essentia possibilis non distinguitur per vos ab essentia actuali: ergo essentia possibilis non distinguitur ab existentia exercita provt exercita; maiorem, & minorem concedunt adversarij, contra quos modo pugnamus: consequentia est evidens, quia quæ sunt eadem vni tertio finito, & limitato, sunt eadem inter se: sed essentia possibilis, & existentia exercita provt talis, sunt eadem vni tertio finito, & limitato, nempe essentia actuali: ergo sunt eadem inter se realiter: ergo quicquid convenit realiter essentia possibili, convenit realiter existentia actuali exercita provt exercita: sed essentia possibili convenit esse ab æterno esse independentem à Deo, & c. ergo etiam convenit existentia exercita provt exercita esse actualiter ab æterno, & esse independentem à Deo, quod quam sit absurdum ipsi cæci viderint.



## SUBSECTIO III.

*Solutiones adversariorum refutantur.*

61 **R**esponder Basilus Ponze possibile positivum non esse Deum, quia illud possibile dependet à Deo possibiliter, & in actu signato, non autem actualiter, & in actu exercito, hoc est non dependet per actionem actualem: sed per actionem possibilem.

62 Sed contra primo, quia in tantum potest dependere illud possibile possibiliter, in quantum potest dependere actualiter: sed si semel ponatur possibile ab æterno, & non dependens actualiter à Deo, nunquam potest dependere actualiter: ergo possibile non dependet possibiliter. Probat minor, quia illud quod actualiter producit in se sub ea ratione qua ita producit, non fuit ab æterno: sed essentia rei fuit ante actualem productionem, & ab æterno per vos: ergo sub ratione essentiae non producit actualiter. Maior meo videri est evidens, ideo enim essentia ut exercita producit in se actualiter & in tempore, quia ita est in tempore ut ante non fuerit. Minor est sententia Adversariorum, quia essentia rei fuit ab æterno secundum se totam, ita ut quicquid est sub statu essentiae fuerit sub statu possibilitatis, & cum sit eadem essentia actualis, & possibilis sit necessario, quod si essentia possibilis fuerit ab æterno, ita similiter essentia actualis fuerit ab æterno: ergo non incipit esse in tempore in ratione essentiae: ergo in ratione essentiae non producit in tempore: ergo non est actualiter producibilis in se ipsa essentia rei, sicut nec Verbum divinum est actualiter producibile in se per actionem incarnationis, quia non producit in se in tempore, nec incipit esse in tempore, & per consequens non est possibiliter producibile in se, & propter eandem rationem, nec animus rationalis est educibilis possibiliter in se, quia actualiter nunquam educitur in se ipso, & ratio huius est manifesta, quia illud quod nunquam potest habere aliquem actum non habet possibilitatem ad illum actum: sed essentia nunquam habet esse actualiter productum in se: ergo non habet possibilitatem ut producat in se: ergo non est producibilis in se possibiliter. Maior meo videri est evidens, nam ideo homo non est possibiliter equus, quia illi repugnat esse equum actualiter, & ratio est evidens in principiis contrariis, quia quicquid res habet possibiliter est in ordine ad actualitatem. Minor est sententia adversariorum.

63 Confirmatur, quando aliquid non est producibile in se, etiam si producat aliquid cum quo coniungitur non dicitur produci illud in se, & per consequens non dicitur producibile in se: sed essentia rei non producit in se: ergo etiam si producat existentia, cum qua coniungitur, & cum qua identificatur, non dicitur produci in se. Maior est evidens, quia licet natura divina coniungatur per identitatem cum personalitate Filij, quae producit in se, nihilominus quia ipsa natura divina non producit in se, non dicitur producibilis in se, & ratio huius est evidens, quia quando alicui concreto convenit aliquid ratione unius partis vel constitutivi, illud predicatum non potest predicari de altera parte,

aut constitutivo, ut quia homini existenti, qui constituitur ex essentia, & existentia ratione existentiae convenit esse contingens, non potest dici de essentia hominis secundum adversarios, quod sit contingens, & quia Christus Dominus secundum humanitatem habet quod sit creatura, & minor Patre, non potest id predicari de Verbo divino quod est alterum extremum componens, & constituens concretum illud Christi Domini: sed essentia rei non producit in se: ergo licet producat existentia cum qua coniungitur ipsa essentia, non producat actualiter: sed ad summum communicabitur alicui, quod actualiter producit: ergo nec possibiliter est producibilis essentia: ergo est omnino independens à Deo, tam actualiter quam possibiliter: ergo est Deus ut probatum est.

Contra secundo, quia etiam existentia ut facta est efficaciter probatum est, meo videri in principiis contrariis non est producta, quia fuit ab æterno: ergo nullo modo res est producibilis.

Confirmatur dicta, & declaratur amplius, quia vel actio possibilis est ut actu producat illud esse actuale positivum possibilitatis ab æterno, vel ut possibilitas possit aliquando dependere, & produci in se vel solum in sua existentia; si primum: ergo Deus per possibilem actionem actu producit aliquid ab æterno quod est falsissimum, quia Deus in tempore producit, & nihil ab æterno actu fecit. Item si possibilis actio actu producit: ergo Petrus possibilis per actionem peccaminosam actu peccat, ergo possibilis Petrus actu odio habetur à Deo, ac proinde actu condemnatur ab ipso, quod est delirium Pelagianorum.

Deinde Petrus possibilis manducat, & currit, loquitur, meretur beatitudinem, & reliqua quae sunt ridicula maxime: sed his relictis praecipue argumentor contra hanc partem solutionis, nam si ab æterno actu producit illud actuale positivum possibilitatis per actionem possibilem: ergo possibile recipit actualiter suum esse ab æterno à Deo, & sic ideo erit possibilis Petrus, qui de se non erat possibilis, quia Deus fecit illum possibilem; unde posset etiam facere illum non possibilem, & aliud impossibile, ut est chymæra; primum est contra fidem aperte, secundum est contra lumen evidens naturae; nam ut supra probavimus, possibile de se est tale sine dependentia à Deo in esse possibilitatis, quia de se non repugnat, sicut chymæra de se non est possibilis: sed potius impossibilis, quia de se repugnat esse; nam si non repugnaret de se non posset repugnare ex parte omnipotentiae, quae infinite potens est, ac proinde potest producere quicquid ex se non repugnat, alias deficeret in Deo potentia, & virtus ad faciendum aliquid quod non repugnat ex se; unde non esset infinite potens cum aliquod obiectum factibile, & non repugnans fieri sit extra sphaeram omnipotentiae; unde Deus non esset omnipotens, cum omnia non possit facere, sicut scientia Dei si esset talis ut aliquod cognoscibile non posset cognoscere non esset infinita; sed finita, quia terminis cognoscibilitatis clauderetur, ac proinde non esset omnis scientia: ergo si illud, quod est impossibile, & non possibile est de se, & ex se tale, quod est possibile etiam de se erit tale, quia oppositorum eadem est ratio, & disciplina, alias Deus posset facere ut possibile non esset possibile, & impossibile



## Quæst. II. Quid sit possibile, positivumne? 451

possibile redderetur possibile, & condemnare perversum Iudam vel Antichristum ut esset per quatuor aut decem annos chymæra, eo modo quo damnantur ad trirèmes scelerari, & chymæra seu impossibili concedere privilegium ut esset per quatuor aut tres annos possibilis; hæc enim ridicula sunt inde sententia ex qua illa sequitur, erit irritanda.

66 Explicatur amplius hoc ipsum, quia chymæra est de se impossibilis ex se, & non ab omnipotentia, in qua est infinita virtus ad producendum quicquid non implicat contradictionem: ergo similiter lapis ex se est ens possibile, & non ab omnipotentia, atque adeo neque producit in esse possibilis, neque dependet à Deo. Patet consequentia primo, quia si esset possibilis per dependentiam ab omnipotentia lapidis, vel ergo ante terminationem dependentiæ erat ex se possibilis vel impossibilis? (suppono possibilitatem terminare dependentiam Dei in tempore, in hoc enim casu interrogatio locum habet, quia vel ab æterno ex se fuit impossibilis, vel possibilis; si impossibilis: ergo ex se lapis est, sicut chymæra; vnde sicut lapis ex se impossibilis ante terminationem dependentiæ divinæ post illius terminationem redditur possibilis, ita similiter poterit, & chymæra media productione divina fieri possibilis, & transiri de impossibilitate ad possibilitatem.

67 Si possibilis: ergo habet lapis possibilitatem illam absque dependentia actuali ab omnipotentia; siquidem ab æterno ante productionem, & dependentiam, & pro priori terminationis dependentiæ, seu actionis possibilis à Deo ex se, & in se est possibilis, nec obstat dicere lapidem non in tempore: sed ab æterno dependere à Deo, & terminare dependentiam illius.

68 Sed contra, quia etiam si ab æterno terminasset possibile dependentiam divinam, potuit non terminare ab æterno; sed in tempore, quia quicquid libere dependet à Deo in vna duratione, potest non in illa, sed in alia dependere, quia potest Deus quando voluerit facere illud: sed illud possibile, quod est extra Deum, & distinctum à Deo libere producit, cum omnia quæ producit producat secundum consilium voluntatis suæ, ac proinde nihil extra se necessario: ergo sicut illud possibile productum est ab æterno, potuit non ab æterno, sed in tempore produci à Deo: sed possibili posito in actu nullum sequitur inconveniens: ergo possumus supponere non fuisse factum ab æterno, sed in tempore; tunc redit argumentum supra factum.

69 Deinde fieret impossibilitatem chymæra ad essendum refundi ultimo in omnipotentiam Dei, tanquam in virtutem non potentem terminari per veram effectorem in illam; nam per te ideo lapis est possibilis ab æterno, quia ab æterno habet aliquod esse actuale, & positivum per dependentiam possibilem à Deo: ergo è contra, ideo ab æterno erit impossibilis chymæra, quia ab æterno non habet actuale, & positivum aliquod esse per actualem dependentiam à Deo in esse possibilis id per actu possibilem dependentiam; vel ergo chymæra non terminat ab æterno illam dependentiam possibilem à Deo, quia in se est quædam repugnantia ad illam terminandam, vel quia in Deo non est virtus, ut ad illam possit terminari per illam dependentiam, & influxum; non primum, quia per te ante terminationem tam impossibilis est, & repugnans lapis, quam chymæra.

R. P. Ideph. de Penafiel. Theol. Schol. Tom. I.

ra: ergo secundum, quare ultimo refundas necesse est impossibilitatem chymæra ad impotentiam Dei, & non ad repugnantiam chymæra in se ipsa. Dicendum ergo tibi est, & chymæram ex se repugnare, esseque impossibilem, & non ab impotentia Dei, & lapidem ex se, & non ab impotentia ipsius Dei esse possibilem, atque adeo absque dependentia possibili à Deo: ergo lapis habet esse possibile ab æterno sine dependentia à Deo: ergo illud non est quid positivum, quia positivum & actuale independents est ipse Deus.

Vergetur amplius, quia illa actio possibilis per 70 quam possibilis lapis dependet à Deo, vel ab æterno actu fuit possibilis, & actu habuit suam possibilitatem, quatenus distinguitur ab existentia, vel non nisi in tempore habuit esse possibile; si primum, interrogo anne habeat suum esse possibilitatis ab æterno à se actu, vel actu à Deo? si habet à se: ergo iam possibile non est ab alio, sed à se; cum autem non sit maior ratio vnius possibilis, quam alterius, omne possibile habebit esse possibilitatis à se, & non à Deo, quod intendimus; si autem à Deo habeat esse possibilitatis actu: ergo illud esse possibilitatis actionis actu fluxit ab æterno à Deo: ergo aliquid creatum actu factum est ab æterno; si quidem possibilitas actionis aliquid creatum est, & actu fit, & fluit à Deo, ac per consequens etiam possibilitates dependentes per illam actionem possibilem actu fluunt ab æterno à Deo media illa possibilitate actionis: sed hæc est aperte hæresis, quia in principio creavit Deus omnia, ita ut nulla creatura facta fuerit ab æterno. Deinde si ab æterno fluunt possibilitates: ergo extra causas producuntur, quia omnis fluxus alicuius effectus à causa est, ut res fiat extra causas: sed fieri extra causa est existere, & produci ut existens: ergo possibile illud non solum productum est in esse possibilitatis, sed etiam in esse existentis; vnde infinita creaturæ actu productæ sunt simpliciter ut existentes ab æterno, quod continet duplicem errorem primum in sententia ipsa adversariorum, ipsi enim asserunt errorem esse in Philosophia asserere posse dari per potentiam Dei absolutam infinitum in actu: ergo multo minus poterit dari naturaliter ut nunc asserunt; vnde hic est primus error philosophicus, qui à Thomistis maxime fugitur, & ab omnibus Philosophis debet fugi, quod ab adversariis asseritur, quia nullus hucusque dixit naturaliter posse dari infinitum in actu productum, quod sequitur evidenter ex dicto adversariorum. Secundus error est, qui iam à nobis in lucem editus est, nimirum quod aliquid producatur actu ab æterno à Deo, & interrogo nunc.

An libere vel necessario producantur illæ possibilitates ab æterno in esse possibilitatum? si libere: ergo si Deus voluisset, non produxisset possibilitates; tunc autem creaturæ non essent possibiles (quia non haberent rationem formalem per quam constituerentur in esse possibilem, quæ nihil aliud est quam possibilitas, possibile enim à possibilitate dicitur, sicut album ab albedine) sicut non sunt existentes, dum actu non producantur existentia, per quas existentes constituuntur; si autem non essent possibiles, sine dubio impossibiles essent, quia non manerent in pura negatione possibilitatis; si autem essent impossibiles, nullo modo possent fieri possibiles, sicut quia chymæra impossibilis est, nullo modo potest reddi possibilis; vnde nulla creatura pos-



set fieri à Deo, quia omnes creaturæ essent impossibiles, ex quo sequeretur Deum esse impotentem, quod maximum continet absurdum, quia si nihil est possibile nihil Deus poterit facere, sicut non facit chimæram, quia chimæra non est possibilis, sed impossibilis.

72 S. autem necessario producit Deus illas possibilitates rerum quæ creaturæ sunt, sequitur non solum personas divinas produci necessario: sed etiam creaturas, quod est absurdum in fide; Deus enim ex eo quod infinite libere est, & infinitum Dominium habet circa omnes creaturas omnes illas cum summa libertate atque dominio producit ac proinde non potest producere aliquam creaturam, & necessario.

73 Si autem dicas possibilitates creaturarum non actu produci à Deo: sed solum possibiliter produci: ergo actu non sunt possibles ab æterno sicut actu non sunt existentes, quia actu non producantur à Deo ut existentes, licet sint possibles produci vel possibiliter producantur, ut existentes, unde si tantum sunt possibiliter producibiles seu est possibile produci, secundum possibilitatem, erit possibile tantum ut sint possibles, & sic minime actu erunt possibles, quia quod est possibile esse actu non est tale; quis enim poterit dicere parietem actu esse album ex eo quod sit possibile esse album, alias peccator qui in peccato est, ex eo quod possibile est esse iustus, erit actu iustus, & gratus Deo, quod est falsissimum: ergo si possibile actu non sit possibile ab æterno, sed tantum potest fieri possibile: ergo actu ab æterno possibile non est: sed potius erit possibile ad ensendum possibile; unde dabitur una possibilitas ad aliam possibilitatem, & una ratio formalis ad aliam rationem formalem, quod adeo absurdum est ut non compatiatur cum bona philosophia, quia sine dubio dabitur processus in infinitum possibilitatum; nam si ad hanc possibilitatem datur alia prior possibilitas, ergo ad illam priorem dabitur alia possibilitas, quia non est maior ratio huius possibilitatis, quam illius: atqui processus in infinitum est omnino vitandus, ut ipsi adversarii alserunt: ergo.

74 Sed Demus posse sibi in secunda possibilitate, de illa inquit an sit à se vel à Deo: Si à se: ergo iam possibile, de quo quærimus, est à se, & non à Deo in ratione possibili, quatenus illa distinguitur ab existentia, quia ad finem à nobis intentum nihil interest, quod hæc possibilitas sit à Deo, dum tamen aliqua detur, quæ sit à se; si autem sit à Deo vel actu erit ab æterno ab illo vel actu non ab æterno, nisi postea in tempore; nec illud, nec hoc, quia redeunt omnia argumenta supra facta: ergo.

75 Nec potest dici secundum illud supra positum, videlicet quod possibilitas possit aliquando dependere in se, & produci in esse possibilitatis, quia illud quod ab æterno habet esse à se iam non est in quo in illo esse possit dependere à Deo; non in sui productione, quia quod est positivum actuale à se, non potest in illo esse produci ab aliquo, v.g. Deus nullo tempore futuro neque per totam æternitatem potest dependere ab alio, & produci, quia habet esse à se.

76 Denique neque in sui conservatione, quia quod à se est, à se conservatur, & non ab alio, nec potest conservari ab illo: sed à quo habet esse sufficienter ab eo conservatur, & cum à se habeat illud à se conservatur possibile, & non ab

alio, præcipue quia sicut ab æterno conservatum fuit possibile sine dependentia à Deo, & per totam æternitatem non indiget, nec potest indigere conservatione alterius in tempore.

Exemplum est manifestum in Deo, qui quia 77 ab æterno habet esse à se independentem non indiget aliquo sui conservante, & sicut actu non dependet ab alio, quia à se est non potest dependere ab illo in sui esse, neque est possibilis actio per quam dependeat, neque in primo fieri neque in secundo, hoc est in conservare vlllo modo; unde cum non poterit non esse à se, quia semel à se est, ita non potest aliquando terminare actionem alterius, quia iam à se, & non à se esset, siquidem esset à se, & ab alio: ergo si possibile creaturarum est à se positivum actuale sufficienter ab æterno, & nullo modo terminat neque terminavit ab æterno; ideo nec poterit terminare vlla duratione per totam æternitatem, nec terminabit de facto actionem alterius, quare fictitia erit, & sine fundamento sententia, & impossibilis illa possibilis actio Ponze, alias esset à se, & non à se, quia essendo à se est ab alio in illo ipso esse, quod est à se.

Nec tertium potest dici, quia eo modo se habet 78 existentia, ut probavimus, quo est essentia; sed demus dependere possibile in existentia, cum existentia sit distincta ab illo esse possibili, siquidem est separata ab illo ab æterno hoc nullo modo tollit, quo minus essentia à se sit infinita, & Deus, ut probavimus supra exempli Verbi divini.

Secundo contra, quia vel possibile ut possibile 79 in actu exercito, & actualiter nihil est, vel si in actu exercito, & actualiter est, à se est, & non à Deo, à quo ut possibile dicitur non esse per actionem exercitam: sed per actionem in actu signato; si nihil est in actu exercito: ergo tantum est in actu signato, quo explicandi modo, aut significatur ratio possibilitatis ut sic, in esse intelligibilis eo modo quo dicitur ratio actionis ut sic non esse formaliter in actu exercito: sed tantum in actu signato, quia tantum significatur id quod reperitur in omnibus actionibus singularibus tantum; non vero quod in se actio revera sit ut sic abstracta ante operationem intellectus, cum ante hanc non detur formaliter ratio communis, & si hoc pacto ponitur possibile, sequetur illud non esse à parte rei, ut dicitur, & ponitur ab adversariis, quod est intentum.

Aut quando dicitur in actu signato, explicatur 80 hoc, dicendo quod possibile in se revera sit ens actu reale positivum distinctum à Deo, quamvis absque exercitio existentia, & actionis, quia pendeat, & sit à Deo, quoad actionem autem nihil dicitur; nam si actu revera est, & non per actionem à Deo, à se est, idque actualiter in esse possibile; unde necessario, licet respectu existentia actualis exercitæ non sit in actu exercito, quia caret illa, ac proinde sit in actu signato, nihilominus in ipso esse possibilitatis actualis, quatenus distinguitur ab existentia exercita, non erit in actu signato, sed potius erit in actu exercito ens reale positivum à se independens, imparticipatum, & increatum; unde redeunt omnia argumenta facta & inconvenientia eruta.

Nec alicuius momenti est illud de actione, & 81 dependentia possibili; nam si verum debet esse, in hoc tantum sensu erit quod ens possibile postulat actionem, & dependentiam actualem à Deo, ut ponatur



ponatur existens; non vero ut sit possibile in se, & re ipsa; quare in hac ratio à Deo non pendeat, sed erit à se, idque solum existenter erit à Deo; quare terminus huius actionis non erit ipsa possibilitas, sed existentia; imo si adducta pro nobis valent, neque existentia erit dependens, quia cum possibile ut tale sit positivum actu ab aeterno à se distinctum à Deo, atque extra Deum sine dubio ab aeterno à se existit, & habet existentiam; unde nec existentia erit terminus talis actionis, omnino igitur erit à se, atque ideo iam non creatura possibilis, sed Deus actualis.

82 Imo si existentia esset terminus talis actionis, & dependentia à Deo, cum tamen possibile secundum esse possibilitatis actualis positivum in actu exercito sit à se independens, & increatum, erit Deus licet in existentia, quae illi de foris advenit, & illi vinitur sit creatura, quia in tali existentia in actu exercito producit dependenter à Deo, ut videre est in Verbo divino, qui in esse talis Verbi, est Deus, quia est à se, & independens; licet humanitas sibi unita sit creatura, quia ratio creaturae in humanitate non tollit ratione propriae dependentiae divinitatem à Verbo, ratione independentiae, quam in se habet: ergo si existentia exercita, etiam si vinitur possibilitati ratione propriae dependentiae quam habet, non ponit dependentiam in possibilitate cui vinitur, nec tollit ab illa independentiam quam habet in actu exercito in esse possibilitatis, non facit quod possibilitas non sit in actu exercito secundum proprium positivum actuale esse possibilitatis Deus.

83 Nec valet dicere actum exercitum solum dici de re producta, seu existente, non de possibili, quamvis in se possibilis actu sit; nam actus exercitus dicit rationem, quae non solum significatur in communi: sed quae re ipsa, & de facto convenit rei singulari in qua dicitur exerceri absque vlla intellectus consideratione, aut fabricatione, v. g. animal ut sic, cum ut sic apprehenditur, quia non exercet, neque in illo statu praecisionis elicit operationes vitales, & sensitivas: sed solum signat illas, quas à parte rei exercent individua, dicitur vivens sensibile non in actu exercito, sed in actu signato, nihilominus tamen respectu communitatis quam exercet per intellectum potest dici in actu exercito universale ab exercitio illius universalitatis; itaque eadem res potest esse in actu signato respectu unius praedicati, & in actu exercito respectu alterius, dum tamen in se actu, & formaliter exerceat unam rationem, & significet aliam quam actu non exercet, ut in exemplo de animali clarum est, nam illud dicitur vivere, & sentire in actu signato, non vero in actu exercito quia de facto non exercet vitam, cum actu non vivat nec possit reduci manendo ut sic ad exercitum viventis sensibilis, licet actu signet, aut significet exercitia illa vivendi executione mandanda in individuis; si autem animal exerceat vitam ut sic praecisam, ut exercet per intellectum rationem universalem, viveret in actu exercito sicut est universale in actu exercito per intellectum: sed possibilitas Petri non repraesentat nec significat ipsam possibilitatis rationem, licet signet, & connotet existentiam: sed re ipsa, & de facto in se ipsa exercet rationem possibilitatis, & independentiae, quia actu per vos datur à parte rei sine dependentia à Deo, & distinguitur actu secundum esse possibilitatis à Deo, & à quacumque possibilitate: ergo in actu exercito, & non solum in actu

signato possibilitas est actu ens à se, & independens, increatum, & imparticipatum; ergo in actu exercito est Deus: sed hoc est absurdum: ergo nullo modo est dicendum possibilitatem esse ab aeterno ens positivum à se.

Vergetur amplius, quia vel in actu exercito negat aliquid primario, & per se possibilitas, vel non negat: sed affirmat, hoc est habet esse positivum à parte rei immediate oppositum negationi exercitae, quia non est dare medium à parte rei inter negationem, & affirmationem seu positivum esse, quia quodlibet necessario vel est vel non est, quia inter duo contradictoria nullum datur medium propter immediatam, & maximam oppositionem illorum: sed possibilitas à parte rei sine vlla fictione datur, & exercet proprium munus possibilitatis, signando, & connotando existentiam: ergo in actu exercito vel est, vel non est; hoc est vel est negatio vel positivum: sed per vos non est negatio: ergo est quid positivum; duplex enim negatio affirmat: sed ex alio capite est à se per vos: ergo in actu exercito à parte rei est positivum ens à se imparticipatum: ergo in actu exercito per vos debet esse Deus, quod est haereticum.

Quod autem possibilitas individua, v. g. Petri 85 in actu exercito, habeat esse possibilitatis, patet manifeste, quia omne quod datur à parte rei in actu exercito, habet proprium esse pro ut distinguitur ab alio quocumque, non interveniente operatione intellectus, v. g. lapsus individuus à parte rei hic adamas videlicet; item Petrus, haec arbor, & hic Angelus habent proprium esse pro ut distinguitur ab alio, non in actu signato, sed in actu exercito, quia sine vlla fictione à parte rei dantur, secundum individuationem uniuscuiusque; item quia Deus est individuus à parte rei singularis ex se negans omnem dependentiam vere, & realiter in actu exercito est à se: sed possibilitas Petri, v. g. est individua possibilitas, quae datur à parte rei sine vlla fictione intellectus, & ante omnem significationem rationis: ergo in actu exercito habet proprium individuum ac singulare esse possibilitatis pro ut distinguitur à quacumque alia possibilitate, & à quacumque existentia, cum autem illud esse possibilitatis sit à se, & independens, & ex alio capite non est negatio actualis, necessario erit à parte rei in actu exercito esse positivum à se increatum; unde solutio de actu exercito, & actu signato nullius momenti est.

Nec obstat dicere Deum, & hunc Angelum 86 esse actus, & non potentias, ac proinde posse habere in actu exercito proprium esse, quod non habet possibilitas quae tota est potentia: ac proinde non habere proprium esse in actu exercito.

Sed contra manifeste, quia possibilitas licet 87 sit potentia ad existentiam, nihilominus non est potentia ad proprium esse possibilitatis, & sic actu est possibilitas, & actu habet proprium esse possibilitatis, licet in potentia habeat existentiam: ergo licet non habet existentiam in actu exercito, nihilominus habebit in actu exercito proprium esse possibilitatis, v. g. si materia prima esset separata ab omni forma, non haberet in actu exercito formam, nec haberet esse à forma, quia solum in potentia haberet illam, nihilominus tamen proprium esse materiae primae haberet in actu exercito, quia actu esset materia prima, & actu haberet esse proprium, quia non haberet



in potentia proprium esse, propterea distinctum ab esse forme; Item si intellectus nihil cogitaret ut in primo conceptionis hominis contingit, licet non esset intelligens in actu exercito, nihilominus esset intellectus, & potentia intellectiva in actu exercito, quia licet sit potentia ad intelligendum, & habeat esse intelligentis in potentia, nihilominus non est potentia ad hoc ut sit intellectus, quia actu vere intellectus est; unde nullo modo habet in potentia proprium esse intellectus, & ratio est, quia nihil est in potentia, aut potentia ad se ipsum.

88 Ergo possibilitas, licet sit potentia respectu existentiae, & licet contineat in potentia esse existentis, ac proinde ab aeterno non possit esse existens in actu exercito, nihilominus non est potentia ad esse possibilitatis, nec habet in potentia proprium esse possibilitatis, quia actu, & non possibiliter est possibilitas; ergo in actu exercito, & non in actu signato habet esse possibilitatis: sed illud esse possibilitatis propterea distinguitur ab existentia est esse positivum a se independens, im- participatum, increatum: ergo ex vestris principiis evidenter sequitur possibilitatem esse in actu exercito Deum, quia convenit illi definitio Dei: sed hoc est summum absurdum omnino vitandum: ergo nullo modo admittenda est sententia adversariorum, ex qua huiusmodi absurdum sequitur.

#### SUBSECTIO IV.

*Albertini, & aliorum solutiones oppugnantur.*

**R**esponderet Albertinus ubi supra disp. 1. q. 1. §. Respondetur ad argumentum primae sententiae, n. 4. esse positivum actuale, quod lapis habet ab aeterno esse ipsam essentiam lapidis, conceditque libenter illud non esse actu efficienter à Deo, negat tamen ideo sequi tale esse dici posse primum ens sive ipsum Deum, quia esto ab aeterno secundum esse essentiae actuale, & positivum non pendeat efficienter à Deo, dependet tamen in genere causae exemplaris ab ipso.

Sed contra, quia dependentia à causa exemplari vel re non differt à dependentia causae efficientis, vel intelligi nequit actualis, & exercita, quin simul cum illa sit dependentia causae efficientis, est enim exemplar forma quaedam respectu artificis, quem suo modo informat, & constituit in suo genere in actu ut sit sufficiens ad agendum intellectualiter, cuius causalitatem docet D. Thomas consistere in actione intellectualis agentis in quantum regulata, in certumque finem directa ab eo procedit, nam proprium munus exemplaris est praestare regulam ac directionem operi efficiendo ab agente intellectuali ut non temere vel casu dicatur fieri tale opus ab ipso.

90 Unde merito dicitur à Doctoribus, actualem causam exemplarem constitui per eandem actionem intellectualis agentis, ut regulatam, & directam ab eodem exemplari, quare tanta est connexio exemplaris cum causa efficiente, ut respectu illius cuius non est causa efficiens, nullo modo detur causa exemplaris, & sic nec in Deo nec in alio distincto ab ipso dantur ideae Dei, seu causa exemplaris illius sacrosanctae naturae, sed solum creaturarum, quia respectu Dei non datur

causa efficiens, ex eo quod sit à se; unde sicut implicat Deum, qui est à se ex eo quod sit à se habere causam efficientem, ita similiter implicat habere causam exemplarem: sed esse positivum creaturarum possibile est à se nullamque causam efficientem habere illius esse, ac proinde nullo modo dependet à Deo, ut ipsi adversarii libenter concedunt, & nos nuper probavimus: ergo nullam causam exemplarem habet, neque vilo modo dependet in genere causae exemplaris à Deo; prima consequentia patet, quia quae semel sunt idem realiter, vel quae ita inter se connexa sunt, ut necessario vnum intelligi non possit esse actu, quin simul actu sit & alterum, propter essentiali nexum ad invicem, neque divinitus separari possunt secundum esse absoluta separatione essendi, & non essendi, ut de se patet. Maior sic probatur, quia exemplar divinum, vel concurret solum directive cum omnipotentia, vel elicitive simul, & directive; si directive: ergo dirigendo aliquam operationem, & effectum actionem actualem omnipotentiae, implicat enim quod noticia practica, ut est exemplar, ratione cuius idea, & ars vocatur actu dirigat, quin per illam aliqua virtus activa, operatio, & effectus actu dirigatur, dirigere, & dirigi correlativa sunt. Item ideo ut diximus ars est propriae agentium per rationem, quia concurret cum agentibus per illam; ergo si exemplar vel idea actu dirigat, ali- quod etiam agens per rationem actu operatur: sed omnis effectio aut operatio agentis per rationem in quantum talis est causalitas eius in genere causae efficientis, dependentiaque actualis effectus ab illa: ergo dependendo esse essentiae creaturarum possibile à Deo actu in genere causae exemplaris, dependebit etiam necessario ita actu ab omnipotentia in genere causae efficientis, ut implicet ipsum actu dependere à Deo in genere causae exemplaris, & actu non dependere in genere causae efficientis ab ipso.

Si vero concurret elicitive simul, & directive, 91 concurret simul efficiendo, & dirigendo, quia concurrere elicitive idem est, quod concurrere efficienter: ergo creatura possibile secundum esse essentiae non solum dependet à Deo actualiter ut à causa exemplari, sed etiam ut ab efficiente: sed hoc est summum absurdum, ut iam demonstratum manet: ergo illud ex quo sequitur.

92 Urgetur, quia causa exemplaris est actus intellectus, & non debet esse purè speculativus, sed practicus: atqui actus merè speculativus distinguitur à practico, in hoc quod actus practicus supponit virtutem effectivam in causa ad producendum illum effectum, ut constat ex dictis ad Logicam; nam licet aliquod agens habeat cognitionem perfectissimam rerum, si non potest producere effective talem rem cognitam, illa cognitio non est practica, & per consequens non est causa exemplaris respectu rei cognitae; nam licet Deus habeat perfectissimam cognitionem peccati, nihilominus non est causa exemplaris peccati, quia non est practica peccati, ex eo quod non possit operari, & efficere peccatum, & ratio est, quia causa exemplaris est directive agentis intellectualis in ordine ad opus; unde si non dirigat ad tale opus, nullo modo erit causa exemplaris, ut patet ex definitione illius, causa enim exemplaris est illa quam sibi proponit artifex imitanda in opere à se faciendo, quae imitatio in hoc consistit ut causa exemplaris dirigat ipsum agens intellectuale



## Quaest II. Vtrum possibilitas sit, &c. 455

lectuale in ordine ad faciendum opus simile tali  
causa exemplari: ergo causa exemplaris est dire-  
ctiva operis: sed causa directiva operis est cau-  
sa practica: ergo causa exemplaris est practica  
cognitio, sed practica cognitio est cognitio effe-  
ctiva: sed causalitas effectiva rationis est causalitas  
causae efficientis: ergo tota causalitas causae  
exemplaris est causalitas causae efficientis in or-  
dine ad id, cuius causa exemplaris est, & ad mi-  
nus est essentialiter coniuncta cum illa: sed ab  
aeterno actualiter non fuit causalitas causae effi-  
cientis respectu creaturarum possibilium; imo re-  
pugnat respectu illatum causalitas causae effi-  
cientis, quia essentialiter secundum Albertinum  
possibile in illo genere est a se: ergo nec fuit cau-  
salitas causae exemplaris actualiter ab aeterno il-  
larum: ergo creatura possibilis secundum esse  
possibilitatis, quatenus distinctum ab existentia  
in nullo genere causae dependet à Deo. Ex quo  
sequitur ulterius, quod creatura non sit imago  
Dei secundum possibilitatem, quia ut aliquid sit  
imago alterius, debet procedere ab ipso: sed pos-  
sibilitas rerum non procedit à Deo: ergo non est  
imago illius. Maior est certa, ideo Verbum divi-  
num est imago solius Patris, & non est imago  
Spiritus sancti, quia non procedit ab Spiritu san-  
cto, & procedit à Patre in similitudinem naturae:  
ergo omne illud, quod non procedit ab alio, non  
potest esse imago illius. Antecedens est sententia  
omnium Theologorum apud eximium nostrum  
Doctorem *tom. 1. in 1. part. lib. 9. de Trinit. c. 9.*

93 Si autem inquiras ab Albertino, quare creatu-  
ra possibilis dependeat à Deo in genere causae  
exemplaris, respondet quia scilicet est imago re-  
presentativa: ei necessario, atque adeo impossi-  
bile Deo essent impossibiles creaturae in quo con-  
sistit illa dependentia.

94 Sed contra, quia omnis imago creata procedit  
à causa efficiente in similitudinem naturae suae  
causae: unde si detur aliquis homo similis alteri,  
quoad naturam, & quoad accidentia, v.g. & nullo  
modo producat ab ipso in genere causae effi-  
cientis, nullo modo dicitur imago illius, propter  
quam rationem, licet unus opus maxime assimi-  
letur alteri, minime est imago alterius, quia non  
producit ab ipso in genere causae efficientis,  
verum est, quod licet in creatis ad rationem simi-  
litudinis requiratur dependentia in genere causae  
efficientis propter imperfectionem creaturae pro-  
cedentis ab alia, nihilominus tamen si per im-  
possibile posset dari, ut vna creatura similis alte-  
ri produceretur ab alia, etiam si non fieret per  
causalitatem in genere causae efficientis, nihilo-  
minus esset imago alterius, quia ad rationem ima-  
ginis sufficit vera, & realis similitudo, cum vera,  
& reali productione: ergo si per te creatura possi-  
bilis in esse possibilitatis est imago Dei, produce-  
tur in genere causae efficientis à Deo, & si non  
producit in genere causae efficientis, nullo mo-  
do erit imago ipsius, ac proinde neque depende-  
bit in genere causae exemplaris.

95 Quod amplius sic virgeo, quia causa exampla-  
ris, vel est ipsa creatura possibilis, vel est cogni-  
tio divina representans creaturam, primum asse-  
rit Scotus, secundum docuimus in physicis; si  
primum dicatur, possibilitas creaturarum non  
potest dependere à Deo in genere causae exem-  
plaris, quia alias causa exemplaris esset causa  
exemplaris sui ipsius, ac proinde idem esset causa,  
& effectus respectu eiusdem, in eodem genere

causae, & per consequens idem dependeret à seip-  
so, quod est falsissimum, quia dependens distin-  
guitur realiter ab eo à quo dependet, ut patet ex  
dictis in physicis. Item causa, & effectus oppo-  
nuntur relative, quia causa refertur ad effectum  
& effectus respicit causam per veram, & realem  
relationem: sed ea quae vere, & realiter opponun-  
tur distinguuntur realiter ut videtur est in divinis;  
ubi omnia sunt vnum ubi non obviat relationis  
oppositio: ergo causa, & effectus distinguuntur  
realiter, ut patet ex illo axioma Metaphysico;  
quidquid causatur, causatur ab alio: sed creatura  
possibilis est causa exemplaris: ergo creatura possi-  
bilis non dependet à causa exemplari, & si depen-  
det eadem creatura possibilis dependebit à seipsa,  
& ad vnam causam exemplarem dabitur alia;  
unde ad rationem formalem dabitur ratio for-  
malis.

Si autem exemplar sit ipsa formalis cognitio 96  
Dei, non poterit creatura possibilis dependere ab  
ipsa sine alia dependentia in genere causae effi-  
cientis, & ratio est, quia cognitio ut distingui-  
tur à causalitate causae efficientis est pure imma-  
nens: sed id, quod pure immanens est, non potest  
habere causalitatem transeuntem in ea ratione,  
qua talis est, alias esset immanens, & transeun-  
s: ergo cognitio illa non potest habere causalita-  
tem in creaturam possibilem, quia causalitas in  
creaturam possibilem est transeuntes, siquidem non  
causat aliquid intra Deum, sed potius extra ip-  
sum, quia causat in creatura, quae extra Deum est,  
ideo enim omnipotentia habet causalitatem tran-  
seuntem, quia non causat intra Deum: sed causat  
creaturam, quae extra Deum est: sed etiam illa  
cognitio divina non causaret intra Deum, sed po-  
tius causaret creaturam possibilem in genere cau-  
sae exemplaris, quae est extra Deum: ergo causaret  
transeuntes. Exemplo demonstratur, ideo volun-  
tas divina non potest immediate sine omnipoten-  
tia causare aliquid in creaturis, unde solum deno-  
minat extrinsece creaturas amatas, aut odio ha-  
bitas, quia voluntas propter distinguitur ab omni-  
potentia, per quam causat transeuntes Deus, est  
omnino immanens: unde si aliquid debet causare  
voluntas divina, debet esse mediante omnipoten-  
tia operativa transeuntes: sed cognitio formalis  
Dei ut distinguitur ab ipsa omnipotentia est om-  
nino immanens sicut voluntas, & volitio divina:  
ergo non potest immediate aliquid causare in  
creaturas, sed solum mediante omnipotentia: unde  
si mediante illa nihil potest causare, nihil po-  
terit ipsa causare per se immediate, itaque cogni-  
tio dicitur causare creaturas, quia dirigit omni-  
potentiam omnino immanenter proponendo illi  
obiecta possibilis, quae immediate, & formaliter,  
vel expresse in genere causae efficientis debet  
causare; quare si aliquid obiectum non potest  
immediate effici ab omnipotentia cognitio ipsa  
nullo modo potest dirigere obiectum ad facien-  
dum illud: unde nullo modo est causa exemplaris  
illius, ut videtur est in chymara, quam nullo modo  
potest causare exemplariter cognitio divina, quia  
illa cognitio non potest dirigere omnipotentiam  
ad immediate faciendum efficienter talem chy-  
meram.

Sed cognitio divina nullo modo potest dirige- 97  
re omnipotentiam ad hoc ut efficienter immedia-  
te producat, & causet possibilitates creaturarum,  
sicut dirigit ipsam omnipotentiam, ad hoc ut  
causet existentias earundem possibilitatum: ergo  
licet



licet cognitio divina possit esse causa exemplaris existentiae creaturae, nullo modo poterit esse causa exemplaris possibilitatis eius.

<sup>98</sup> Item evidentiis, ideo per te dependent creaturae possibiles à Deo in genere causae exemplaris, quia sunt imagines necessariae Dei, quo impossibile impossibile esset creatura: ergo Verbum divinum quod est imago, ita necessario representans Patrem, ut impossibile Patre esset impossibile Verbum divinum, dependebit similiter necessario à Patre; unde Verbum divinum erit ens dependens, ac proinde participatum, & secundum, & non primum, & imparticipatum, & sic non erit Deus, quod est aperte contra fidem: ergo ex eo praecise quod creaturae possibiles, ut imagines necessariae representent Deum, non potest dici illas dependere à Deo.

<sup>99</sup> Dices Verbum divinum representare Patrem per omnimodam identitatem in una, & eadem natura; creaturas vero per veram imitationem alicuius existentis perfectionis in Deo formaliter, vel eminenter, & per essentiam secundum rem, & actu distinctam ab essentia, & natura Dei.

<sup>100</sup> Contra primo, quia hinc solum sequitur creaturam non esse tam adequatam, & perfectam imaginem Patris, quam Verbum, non vero quod creatura dependeat à Deo; si Verbum non dependet ab ipso, quia ubi est eadem ratio formalis est idem effectus, vel quasi effectus formalis. Exemplo manifestatur, & supponamus per impossibile dari duplicem Deum actu existentem, & unum esse maxime similem alteri in omnibus perfectionibus, non aut unum produci, & dependere ab alio in genere causae efficientis; in hoc enim casu unus Deus non dependeret ab alio in genere causae exemplaris, neque unum imitaretur alterum; tum quia non esset maior ratio, quare potius unus quam alter dependeret ab alio, aut imitaretur alium; tum etiam, quia id, quod non est ab alio, sed à se non potest imitari aliud à quo non est, omnis enim imitatio unius respectu alterius fundatur in hoc quod unum accipiat esse ab altero; unde Petrus, qui non producit à Paulo non dicitur imitari in esse Paulum, licet dicatur imitari in esse Patrem proprium. Itaque in casu posito unus Deus non dependeret in genere causae exemplaris ab alio, ex eo quod uterque Deus aequaliter haberet esse à se, & non ab alio etiam si haberent maximam similitudinem inter se, & non haberent identitatem in una essentia, sicut Verbum divinum habet eandem essentiam, ac Pater; sed possibilitas creaturarum, licet habeat distinctionem secundum essentiam à Deo, ac proinde non habeat identitatem cum ipso in essentia, nihilominus in esse possibilitatis per te est tam à se sicut Deus, & non habet esse participatum à Deo, nec productum ab ipso etiam si sit maxime similis illi in perfectionibus: ergo neque imitatur Deum in esse neque dependet ab ipso in genere causae exemplaris.

#### SUBSECTIO V.

##### *Solutio Scotistarum refellitur*

<sup>101</sup> Respondet Scotus, quod creaturae possibiles habent esse diminutum, sed productum à Deo efficienter per intellectum.

Sed contra, implicat quod Deus per intellectum producat illud esse diminutum eo modo, quo Scotus id asserit: ergo falsa est solutio. Probatur antecedens, quia vel illud esse intelligibile est aliquid distinctum ab ipsa intellectione divina, vel est ipsa divina intellectio, qua cognoscit creaturas possibiles: sed non primum, nec secundum: ergo non datur illud esse intelligibile eo modo quo Scotus posuit illud. Probatur minor quantum ad primam partem, si illud esse distinctum à Deo non solum esset diminutum, sed potius esset tota entitas rei: sed hoc negat Scotus: ergo illud non est aliquid distinctum à Deo, & à cognitione divina: probatur maior, intelligibile ut intelligibile, aut intelligibilitas rei est tota entitas rei connotans intellectum à quo intelligatur: sed producit intelligibilitas: ergo producit tota entitas rei; maior meo videri est evidens, & constat ex dictis supra, quia nihil aliud est res intelligibilis quam res capax ut intelligatur à Deo: sed tota res habet capacitatem ut intelligatur, & est capax talis intellectionis: ergo tota res est intelligibilis, ac proinde tota entitas est intelligibilitas. Probatur minor manifeste, tota entitas cognoscitur à Deo secundum omnem formalitatem, & rationem illius: sed res habet capacitatem ut intelligatur secundum omnem rationem, & formalitatem, qua cognoscitur à Deo, quia ab actu ad potentiam evidens est affirmativa consequentia; unde bene valet tota existentia creaturae produci à Deo secundum omnem formalitatem existentiae: ergo tota existentia secundum omnem formalitatem, quam habet est capax productionis, & habet capacitatem ut producat: sed per vos totum esse, quod datur in intelligitur à Deo, secundum omnem formalitatem quam habet: ergo tota res est intelligibilis, ac proinde tota res habet intelligibilitatem secundum omnem formalitatem ipsius.

Sed res fuit ab aeterno per vos secundum intelligibilitatem suam, & capacitatem, quam habet ut intelligatur: ergo fuit ab aeterno secundum totam suam entitatem, & secundum omnem formalitatem, & rationem existentiae intrinsecè in ipsa re; patet evidenter consequentia, res fuit ab aeterno secundum totam suam intelligibilitatem, & secundum totam capacitatem, quam habet ut intelligatur, hoc est secundum totum id, quod est intelligibile: sed tota capacitas quam habet res ut intelligatur, seu tota entitas ut intelligibilis est tota entitas ipsius rei: ergo res fuit ab aeterno, secundum totam suam entitatem. Consequentia patet evidenter à paritate rationis in argumentationibus similibus, quae possunt fieri, ut est haec evidens ratiocinatio contra Arianos, Verbum divinum secundum totam suam intelligibilitatem, & capacitatem quam habet ut intelligatur est Deus, & fuit ab aeterno: sed tota capacitas quam habet Verbum divinum ut intelligatur, & tota intelligibilitas illius est tota entitas Verbi divini: ergo tota entitas Verbi divini est Deus, & fuit ab aeterno, quod patet etiam in simili argumentatione, tota intelligibilitas Petri, & tota capacitas, quam habet ut intelligatur est nunc in hoc tempore: sed tota entitas Petri est tota capacitas quam habet ut intelligatur, & tota intelligibilitas illius: ergo nunc est tota entitas Petri; sed ab aeterno fuit tota intelligibilitas Petri, & tota capacitas quam habet, ut intelligatur: ergo ab aeterno fuit tota entitas Petri,



## Quæst. II. Quid sit possibile, an positivum? 557

tri, & etiam tota illius existentia quia etiam existentia Petri est intelligibilis, & non repugnat existere: ergo ab æterno fuit Petrus non solum secundum esse diminutum: sed etiam secundum totum suum esse essentiale, & existientiale quod est hæreticum.

104 Deinde probatur eadem minor, quantum ad secundam partem, quia ipse actus intellectus Dei nullo modo potest dici absolute creatura, nec creatura potest dici absolute ipse actus intellectus Dei: ergo si ab æterno fuit solum ipse actus intellectus Dei non potest dici, quod ab æterno fuit creatura. Antecedens est manifestum in nostra fide ad quod suppono, quod in Conc. Constam. *scilicet* 11, fuerunt tam natæ duæ propositiones V. v. l. eph. & Joannis Hoz discipuli eius, propositiones autem erant huiusmodi: omnis creatura est Deus, lapis est Deus; sensus autem hæreticorum ut optime explicat P. Gabriel Vazquez *loco citato* non erat quod lapis esset formaliter Deus; aut quod omnis creatura haberet esse formale Dei, quia hoc modo nullus vnquam deliravit, etiam hæreticorum antiquorum, qui ponebant multitudinem Deorum; nullus enim dixit omnem creaturam vere, & proprie esse Deum: sensus ergo hæreticorum est, quod lapis est Deus in esse intelligibilis; sicut res cognita dicitur cognitio in esse intelligibilis; sed ideo damnat Conc. ut hæreticam illam propositionem, lapis est Deus, quia ponit absolute, quia necessario debebat addi secundum esse intelligibile, & idæale, hoc est quod intellectio, & idæa divina per quam cognoscitur à Deo lapis est ipse Deus.

105 Tunc sic: ergo si ab æterno fuit creatura solum secundum esse intelligibile, hoc est, quod fuit intellectio divina non potest dici absolute, quod ab æterno fuerit creatura nisi addendo additum illud; id est secundum intellectiorem divinam, hoc est intellectio divina cognoscens creaturam; unde sequitur quod si Scotus intelligit, quando dicit quod creatura fuit ab æterno intelligibiliter, hoc est quod solum fuerit actus intellectus divini loquitur male, & improprie, quia actus intelligendi Deo nec producit efficienter à Deo; nec est diminutum esse creaturatum: sed potius est esse perfectissimum Dei: ergo illud positivum ab Scoto positum est impossibile.

106 Confirmatur, quia vel ab æterno fuit esse cognitum, & intellectum solum actu, secundum formam vel quædam formam per quam extrinsece res, quæ ab æterno non est actu denominatur cognita, & intellecta; vel etiam fuit ipsa res intrinsece secundum suam entitatem, quæ extrinsece denominatur à cognitione: sed nec primum, nec secundum potest dici: ergo, &c. non primum, quia illa est cognitio Dei, quæ nullo modo est res, secundum esse diminutum: nec secundum, quia daretur res secundum suum esse perfectum, quia res secundum totum suum esse perfectum cognoscitur à Deo, & est cognoscibile, & intelligibile ab ipso; nihil enim est si ve perfectum, si ve imperfectum in creatura, quod lateat vel possit latere divinam cognitionem, quia est infinita, & omniscientia: ergo nullo modo datur res ab æterno secundum esse positivum actuale: ergo solum datur negatio quæ possibilis dicitur.

107 Vergetur, quia vel intellectus divinus vere pro-

R. P. Ildeph. de Peñañiel, Theol. Schol. Tom. I.

ducit illud esse diminutum, vel non producit: sed solum cognoscit id, quod se est cognoscibile à Deo, quatenus ens positivum: si primum, vel produxit illud vere necessario, vel libere; si libere: ergo potuit Deus non producere, si vellent aut voluissent, ac proinde nihil esset possibile si voluisset Deus. Contra quod insurgunt omnia argumenta supra posita, quibus late demonstravimus possibile non dependere à Deo in esse possibilitatis; sed esse à se necessario, quod etiam postea probabitur; si autem necessario produxit Deus illud esse possibile ab æterno, sequitur duplex inconveniens supra positum contra nostram fidem; primum quod aliquid vere fecerit Deus ab æterno, & quod non fecerit omne quod fecit in tempore secundum illud, *In principio creavit Deus calum, & terram*. Secundum inconveniens est, quod Deus producat creaturam extra se necessario, & non libere, quod est aperte contra Paulum dicentem Deum facere omnia secundum consilium voluntatis suæ; unde, non solum productiones divine essent necessariae: sed etiam productiones creaturarum, quod est hæreticum. Deinde quia iam illa productio faceret creaturam existentem, quia omnis productio est positio rei extra causas: sed illa productio creaturæ esset vera productio; ergo poneret rem extra causas: ergo poneretur existens ex vi illius; unde non produceretur creatura ab intellectu divino, solum secundum esse diminutum: sed etiam secundum esse perfectum existientiale ipsius.

Declaratur amplius, quia per vos creatura producit secundum quod intelligibilis est: sed non solum est intelligibilis secundum possibilitatem: sed etiam secundum existentiam, & actualitatem, quia Deus non solum intelligit possibilitatem: sed etiam existentiam, & quicquid intelligitur à Deo est intelligibile ab ipso, ab actu enim ad potentiam recta est consequentia affirmativa, ut sæpe dixi: ergo non solum producit creatura ab æterno à Deo secundum esse diminutum: sed etiam secundum esse perfectum, & existentiale ipsius; unde sequitur manifeste, vel nihil producere Deum in tempore, vel si producit non producere de novo: sed solum reproducere aut conservare in tempore, quæ ab æterno producta sunt secundum possibilitatem, & existentiam, quia in creatura præter possibilitatem, & existentiam, nihil est quod possit produci, quæ omnia sunt absurda hæretica: ergo nullo modo dicendum est Deum ab æterno producere per intellectum vere, & realiter creaturam secundum intelligibilitatem, quam Scotus vocat perperam esse diminutum creaturæ.

Confirmatur, quia in sententia Scoti passio-  
nes entis licet distinguantur ex natura rei ab ente, nihilominus non distinguuntur realiter ab illo: sed potius habent identitatem realem cum illo, ac proinde sunt inseparabiles ab ente à parte rei; unde nullo modo potest dari intelligibilitas entis sine ente, nec potest fieri, aut potest produci intelligibilitas sine ente, v. g. quia animal solum distinguitur ex natura rei à differentiis, & ex alio capite non distinguitur realiter ab illis: sed potius identificatur cum illis ab eo à quo producuntur differentiæ, producit etiam realiter animal; unde, quia Pater meus produxit me in esse rationalis, produxit me in esse animalis: sed intelligibilitas omnis, quæ datur in  
M m m creatura,



creatura, producit per intellectum divinum: ergo producit per intellectum divinum id quod est idem cum ipsa intelligibilitate realiter: sed tota entitas creaturæ est idem realiter cum intelligibilitate, quia tota entitas est intelligibilis, & habet pro passione, & attributo intelligibilitatem, & identificatur cum illa realiter, licet ex natura rei distinguatur: ergo producit per intellectum divinum tota entitas creaturæ: ergo non producit secundum esse diminutum, sed potius secundum esse perfectum; quapropter si non producit secundum esse perfectum, nullo modo producet secundum esse intelligibile.

109 Si autem intellectus divinus non producat vere creaturam secundum esse intelligibile, sed solum ex eo quod cognoscat illam, quæ in se est, & ex se denominet illam intelligibilem, aut intellectum perperam loquitur Scotus, quia denominare extrinsece per actum intrinsecum immanens nullo modo est producere, nec secundum esse diminutum, nec secundum esse perfectum, alias visio mea quæ denominat parietem visum, & dexteritas mea, quæ denominat extrinsece arborem dexteram, producerent parietem, & arborem secundum esse diminutum, quod est absurdum in Philosophia manifestum. Præterea creatura potest amare Deum, & de facto amat, & intelligit, ac proinde Deus à creatura denominatur amatus, & intellectus formaliter extrinsece: ergo ex vestris principiis sequitur Deum produci ab intellectu, & voluntate creatæ secundum esse diminutum intellecti, & amati, aut intelligibilis, & amabilis ab ipsa: sed hoc est periculosissimum in fide, quia Deus nullo modo producit à creatura: ergo absurda est hæc sententia ex qua hoc absurdum sequitur: ergo ex eo solum quod Deus denominet extrinsece per suam cognitionem, non potest dici creaturam produci à Deo per intellectum secundum esse diminutum intelligibilitatis.

110 Deinde supponamus produci in esse intelligibile à Deo, nihilominus Scotus non respondet ad rem, quia in hac quæstione non inquirimus, quid sit intelligibilitas creaturarum, nec interrogamus an talis intelligibilitas sit à se, vel à Deo, sed potius interrogamus hic de possibilitate ad quam consequitur intelligibilitas creaturæ producta à Deo, & quæ denominatur intelligibilis, & supra quam cadit talis denominatio an sit positiva vel negativa: si est negatio, est nostra sententia: si est positivum, & à se, quia est improducta à Deo in esse possibilitatis, licet sit producta in esse intelligibilis: redeunt omnia nostra argumenta supra facta contra Albertinum, & Basilium Ponze, quibus manifeste demonstramus esse Deum illam possibilitatem, si autem dicat Scotus talem possibilitatem in se possibilitatis non esse à se, sed à Deo productam, insurgunt omnia argumenta, quibus probamus possibilitatem esse à se, & necessario, quia possibile, & impossibile habent contrarietatem metaphysicam: sed impossibile est à se, & non à Deo: ergo possibile est à se, & non à Deo, quia contrariorum eadem est disciplina, & ratio: unde sicut hircoservus ex se est impossibilis & repugnat, ita etiam Angelus ex se est possibilis, & non repugnat. Præterea, quia hæc opinio aperte impugnatur ab Albertino loco citato, retorquendo contra Scotum argumentum quod ipse facit contra nos, inquirendo ab Scoto

cur chymaræ repugnet produci à Deo intelligibiliter, & non repugnet lapidi, sicut ipse argumentatur: quidquid autem ipse responderit huic argumento, respondebimus, & suo: ergo falsa est, & commentaria sententia Scoti de esse diminuto producta à Deo in esse intelligibilis.

Contra secundo argumentor labefactando sententiam Scoti, quia ideo Deus est ens simpliciter, & non diminutum esse, & ideo est perfectissimum, quia est ens positivum à se, & independens: ac proinde ut supra probavi infinitum, & illimitatum in omni perfectione, hoc enim est esse simpliciter ens sine aliqua diminutione in ea ratione entis: sed possibile quatenus distinguitur ab existentia est ens positivum à se independens in esse possibilis: ergo est illimitatum in omni ratione essendi, ac infinitum in omni perfectione entis, ac proinde ens simpliciter, & absolute, quod enim ens potest perfectius inveniri enti possibile, quod omnibus illis perfectionibus gaudet, & si hoc possibile ens ratione harum omnium perfectionum non meretur tali nomine insigniri entis, nimirum simpliciter, quod aliud ens invenietur, quod possit ens simpliciter appellari: certe nullum.

Contra tertio, & confirmo iam dictum, quia, quod adversarij asserunt fictitum est quomodo-  
cunque à se ponatur, ponitur actuale positivum in quo distinguitur à negatione à se, quæ ex eo quod nihil positivi habeat, nullam perfectionem habet in se, & sic non est Deus, Deus enim habet in se omnem perfectionem ex eo quod semel admittit entitatem positivam habere à se, quæ est perfectionem habere à se, & non ab alio: unde necessario debet habere omnem perfectionem, quia ut iam supra dixi non est à quo possit limitari in hac potius quam in illa perfectione, & ideo erit illimitatum in omni perfectione, seu habebit omnem perfectionem sine limite, quod est divinitate constitui: unde si possibile semel admittit habere positivam perfectionem, necessario debet admitti etiam cum omni perfectione: unde illimitatum in perfectione, atque adeo infinitum in illa, ac proinde erit Deus, quia cum illam perfectionem positivam rationis non habeat dependenter ab alio, sed à se, non habebit solam illam perfectionem, sed omnem, quia non est à quo possit limitari in sola illa, nec à se nec ab alio, ut supra probavi: ex quo sequitur etiam ut habet existentiam simpliciter, ac omnimodo perfectam, ac per consequens ponitur ea ratione, qua satis est ut ex illa oriantur cætera omnia, quæ reddunt Deum ens simpliciter: ex eo enim colligimus Deum esse tale ens, quod semel admittimus esse essenziale actuale positivum: ergo id similiter debemus colligere in essentia creaturæ possibilis, si semel admittimus esse à se positivam entitatem, quæ enim maior excogitari potest perfectio: ad constituendum ens simpliciter, & non diminutum esse quam independentia in esse positivo, ratione cuius Deus omnium maximum ac perfectissimum ens maxime distinguitur à diminuto esse, & constituitur in esse simpliciter: quare pugnantia loquuntur adversarij, nam concedendo independentiam in entitate positiva, concedunt simpliciter esse creaturæ possibili, quod postea verbis negant asserendo esse diminutum ens etiam si sit ens positivum à se independens, ac si ego dicerem, Petrus est animal rationale: sed non est simpliciter homo, in qua contradictione sine dubio



dubio ludibrium sapientibus deberem quod sine dubio debent adversarij.

113 Denique si possibile est, quale ab adversarijs putatur essentia distinguitur à parte rei ab existentia, non ut non ens seu negatio ab ente; sed ut positivum reale à positivo reali, quod falsum esse probabitur à nobis *dispr. sequenti* nam essentia ab aeterno est non ut adversarij asserunt, cum res possibilis sit ab aeterno, & sit essentia rei, quod enim possibile est quod potest existere, quod autem potest existere est essentia rei, nam homo est, qui potest existere nimirum animal rationale, quod est essentia hominis: sed ut possibilis est res actualis est distincta à Deo, & extra illius intellectum, & non existit actu; sed potius est separata per totam aeternitatem realiter ab exercitio existentiae, quod in tempore erit de novo, ex eo quod non fuerit ab aeterno realiter: ergo realiter distinguitur à tali exercitio existentiae, ex illo evidentissimo axioma metaphysico, ea quae separantur realiter simpliciter, distinguuntur simpliciter realiter, & non ut nihil, cum sit res praedicta, & distinguitur ab existenti exercitio, non ut à nihilo, sed ut ab aliquo, idque ante operationem intellectus, cum rem esse possibilem non dependeat ab illo, sicut nec exercitium existentiae: ergo distinguitur sicut positivum reale à positivo reali.

114 Dices primo argumentum hoc fieri posse etiam in nostra sententia, quia tantum ratione distinguimus existentiam ab essentia, si possibilitatem in negatione constituerimus; nam etiam negatio distinguitur à positivo reali à parte rei, ut non ens ab ente: ergo si essentia possibilis negatio est, existentia autem positivum quid à parte rei, distingueretur essentia possibilis ab existentia, ut non ens ab ente realiter: ergo iam non sola ratione distinguuntur, sed realiter.

115 Contra, quia cum dicitur non distingui essentiam ab existentia à parte rei solum debet intelligi hoc de essentia actuali, non de possibili, & si de possibili etiam intelligatur sensus erit non distingui essentiam possibilem ab existentia actuali, ut positivum à positivo: quo etiam sensu intelligitur non distingui essentiam, cum actu est ab existentia actuali, non vero sensus est de distinctione à parte rei ut negativi à positivo, de quo ut ad essentiam applicatur, solent aliqui dicere adhuc in hoc sensu non distingui à parte rei, ita ut negativum, quod dicitur essentia, cum coniungitur existentiae, non distinguatur à parte rei ab ista, sicut distinguitur à parte rei privatio à subiecto in quo est, quia dicunt negativum hoc transcendere ipsam existentiam, & per transcendentiam impediri distinctionem à parte rei, quod addunt dici non posse de essentia, si ponatur res omnino positiva à Deo distincta, & ab aeterno; nam cum non sit praedicatum superius ad existentiam, nec proprietates illius, nulla ratione potest illam transcendere, cum ei coniungitur maxime cum existentia sit modus, vel quasi modus essentiae admissio positive distingui haec duo inter se, vel positivo vno ab aeterno altero, quod adveniat in tempore cum existentia in actu esse non possit absque essentia, essentia vero actu esse dicatur ab aeterno ab eo distincta positive, quod autem transcendere negatio possit existentiam à parte rei, aiant facile posse concipi, ex eo quod illa sit non repugnans, quae inclusa videtur in ipsa existentia, v.g. hominis cum datur, quia in quocumque illius concipitur.

R.P. Ideph. de Peñafiel. Theol. Schol. Tom. I.

ceptu à parte rei concipiatur, est verum dicere non repugnare hominis existentiam, eo quod ipsam essentiam, & possibilitatem involvat; probabilis est haec responsio, sed illa non indigemus, cum quaestio solum sit de distinctione inier essentiam positivam actualem, & actu exercitium existentiam.

Dices secundo id solum probare distingui hoc modo res possibiles dum comparantur, ut sunt in statu possibilitatis ad existentiae exercitium cum actu, hoc est, non vero si comparatur res possibilis cum tantum est in statu possibilitatis ad exercitium praedictum antequam actu sit, vel cum iam coniungitur cum ipso exercitio in actu posito, nam si priori modo comparatur cum illo distingueretur ut non esse ab esse, cum antequam existat essentia non sit, & exercitium quando sumitur ut in actu est iam sit, si autem comparatur ad hoc, cum nondum est actu comparabitur ad illud ut ad quaecumque rem aliam possibilem, & ab eo distinguitur eodem modo, ac si compares Petrum possibilem cum sua possibile albedine, & hanc ab alio distinguas; nam ipsum existentiae exercitium antequam actu sit possibile, etiam est ac si comparatur ad praedictum exercitium in actu redactum cum actu coniungitur, & ex vi illius existens ponitur; iam identificatur cum illo, & tamen superest distinctio rationis secundum quam mente nostra essentiam ab existentia distinguimus, ut duo positiva realia absque vlla distinctione à parte rei.

Contra, nam eadem essentia, quae possibilis est, ponitur existens per existentiam: ergo si antequam ponatur existens, res est actu, & extra intellectum divinum positive vna, vera, & bona, & nihil horum amittit cum ponitur existens, plane ab existentia positive distinguitur à parte rei ante operationem intellectus, alias vel convertitur in existentiam, & desinit esse essentia, quae in statu possibilitatis ab aeterno erat, vel existentia in illam mutatur, quo fiet ut non existentia hominis, v.g. sed essentia tantum hominis sit, quod est omnino ridiculum, & immediate oppositum intento ipsorum; nam quicquid mutatur in aliud desinit esse ad productionem alterius, in quod mutatur, v.g. substantia panis, & vini desinit esse, & destruitur quando advenit, & reproduciatur Corpus Christi, & sanguis eius media consecratione, eo quod substantia panis, & vini mutatur, & convertitur in substantiam Corporis, & Sanguinis Christi, ratione cuius existente corpore Christi iam non est substantia panis, ac proinde evidenter colligimus distingui realiter inter se, & nullo modo identificari: sed per vos essentia convertitur in existentia, vel è contra existentia mutatur in essentiam: ergo adveniente vna desinit esse alia, & non dantur à parte rei simul: ergo tantum abest, quod ex tali mutatione colligatur identitas, quin potius evidenter colligitur distingui realiter inter se.

Deinde, quia summum absurdum est asserere 118 ea, quae semel distinguuntur maxime ut negativum, & positivum, postea posse identificari inter se: sed possibilitas distinguitur à parte rei ab existentia, siquidem ab aeterno fuit separata ab ipsa existentia, & est negatio realis ut ipsi adversarij in sua solutione supponunt, & existentia est quid positivum à parte rei: ergo impossibile est quod possibilitas identificetur adveniente existentia cum ipsa. Maior est primum, & evidentissimum

M m m 2 princi



principium, quia ea quæ semel distinguuntur, dicunt inter se negationem ex vi suarum entitatum immediate fundatam in illis sine aliquo medio superaddito fundamento: sed non potest tolli tatis negatio, & separari ab ipsis entitatibus, in quibus immediate fundatur, manentibus illis, sicut non potest tolli negatio Dei, quæ est in creatura, & per quam distinguitur à Deo, quia convenit creaturæ immediate ex vi essentia, & entitatis illius, alias esset creatura, & non esset simul, & posset identificari cum Deo, sed existente tali negatione in entitatibus rerum inter se distinctarum nullo modo, nec per potentiam Dei absolutam possunt identificari, quia illa est negatio identitatis, & negatio non potest esse simul cum forma, cuius est negatio: ergo possibilitas similiter nullo modo poterit identificari cum existentia, etiam si coniungantur inter se, quia possibilitas non solum dicit negationem distinctam à se identitatis cum existentia, sed potius est ipsa negatio essendi idem cum existentia, sicut tenebræ non solum sunt negatio lucis, sed etiam sunt negatio identitatis cum aëre, ratione cuius licet variantur aëri, nullo modo possunt etiam divinitus identificari cum ipso,

119 Vergetur, quia maior convenientia datur inter duas partes quantitatis, quia sunt accidentia homogenea eiusdem speciei, & nihilominus quia semel supponuntur distinctæ à parte rei, nunquam possunt identificari realiter adhuc divinitus, item magis conveniunt inter se anima rationalis, & materia prima, quia ambæ sunt substantiæ, entitates positivæ, & partes essentielles ordinatæ ad componendum unum totum quæ est entitas positiva, sed licet detur illa maior convenientia, proportio, & similitudo, ex eo solum, quod distinguuntur inter se realiter, non possunt adhuc divinitus identificari inter se; ita ut anima aliquando sit materia prima, & materia prima simul remanendo in esse materiæ sit anima rationalis: ergo à fortiori nullo modo poterunt possibilitas, & existentia identificari inter se, quia datur in eis eadem ratio formalis propter quam materia, & forma non identificantur, distinctio videlicet à parte rei, ratione cuius debet dari in ipsis idem effectus, vel quasi effectus formalis, non identificandi, & præterea datur inter illas maxima inconvenientia positivæ, & negativæ, quæ nullo modo datur inter duas partes quantitatis, & inter materiam, & formam.

120 A contrario sensu evidenter confirmatur, quia una, & eadem entitas Angeli non potest distinguui, dividi, aut separari in duas Angeli entitates realiter, sicut una, & eadem anima rationalis non potest distinguui, aut dividi realiter in duas animas, aut duas partes animæ, & tota ratio est, quia, quæ semel habent identitatem in se, quæ est opposita distinctioni, nunquam possunt distinguui inter se, & amittere identitatem, & ratio à priori est, quia identitas non fundatur in principiis naturalibus, & physicis, quæ subijciuntur omnipotentia Dei potentis dispensare in illis, sed potius fundatur in principiis metaphysicis, quodlibet est, vel non est, impossibile est simul esse, & non esse, quæ quia essentialia sunt, & æternæ veritatis, sunt omnino necessaria, & immutabilia à Deo, & quia sequuntur immediate ad ens ut sic, quod est superius respectu Dei, non subijciuntur omnipotentia ipsius: ergo similiter,

quæ semel habent distinctionem realem, nunquam poterunt identificari inter se; tum quia oppositorum eadem est disciplina, & ratio; tum etiam, quia distinctio fundatur in principiis metaphysicis, & non in naturalibus sicut identitas; tum denique, quia si Deus posset facere ea, quæ sunt distincta eadem, tollendo negationem, & distinctionem ab illis, posset sine dubio postea non conservare identitatem, sed destruere illam per suspensionem concursus, quia Deus ad extra sicut libere producit, ita libere conservat ac proinde destructa identitate à Deo posset iterum Deus reducere rationes illas ad distinctionem illam pristinam, quam habebant antequam identificaret illas; unde ea quæ semel eadem supponuntur posset Deus distinguere in duo, quæ sunt maxima absurda: ergo dicendum est absolute, sicut non possunt distinguui realiter adhuc divinitus ea quæ semel identificantur, ita similiter nullo modo posset adhuc divinitus identificari realiter, ea quæ semel distinguuntur realiter; sed possibilitas distinguuntur à parte rei ab existentia per totam æternitatem, cum ab æterno fuerit separata realiter ab existentia: ergo adveniente existentia non potest identificari realiter cum illa, etiam si possibilitas intime penetraret, & transcendat totam existentiam, Deus enim magis penetrat, & transcendit quamcumque creaturam, quia magis intrinsece, & intime est in illa per essentiam, presentiam, & potentiam, quam possibilitas penetrat existentiam. Item Pater æternus ratione sacratissime circumcessionis intime est in filio, & filius in Patre, & utraque persona in Spiritu sancto, & nihilominus nec Deus identificatur cum creatura, nec personæ divinæ inter se, secundum illud Athanasij in *Symbolo*, neque confundentes personas, neque substantiam separantes, alia enim est persona Patris, alia filij alia Spiritus Sancti, neque ideo negabat Athanasius circumcessionem illarum cum apertis, ac disertis verbis asserat sapientia Patris se esse in Patre illis. Verbis: Ego in Patre, & Pater in me est: ergo similiter licet possibilitas intime penetraret seu transcendat existentiam, nihilominus non identificabitur cum illa, sicut anima rationalis intime penetrat materiam primam, & non identificatur illa.

Si autem interrogemus ab adversariis quid intelligant per illud esse diminutum, respondent esse quidditativum absolutum intrinsecum in creatura ante existentiam, non quidem extra intellectum divinum à parte rei, sed potius intra ipsum, quatenus intellectus divinus cognoscens essentiam divinam, ut exemplar creaturatum, producit illas in esse quidditativo absoluto intelligibili, in quo fundatur ratio producibilitatis ad extra secundum existentiam, esse autem actualis existentia esse ens simpliciter, quare positive debere à parte rei distinguui inter se possibilitatem, & existentiam.

Contra, quia per vos eiusmodi esse ponitur intra divinum intellectum: ergo vel intra illum est ab eo distinctum realiter, vel non est distinctum: sed potius est re idem cum illo; si est idem iam re ipsa, & ante operationem mentis nostræ possibile formaliter, & realiter nihil aliud est quam ipse intellectus divinus, & per consequens est ipse Deus, quod quam sit falsum patet ex eo manifeste, quia intellectus divinus non est obiectum divinæ omnipotentia, quia productio dictum divinæ omnipotentia ad intellectum divinum, ad extra non terminatur ad intellectum divinum,



## Quaest. II. Quid sit possibile, an positivum? 461

vinum, & nihilominus terminatur ad possibile, tanquam ad proprium obiectum motivum, & terminativum: ergo possibile ut possibile, non est Deus, neque intellectus divinus, quod amplius patet ex dicendis infra. Deinde quia possibile ut possibile est creatura, quae potest produci à Deo, & possibilitas illius coniuncta cum existentia, quando actu datur illa constituit intrinsece creaturam in esse non repugnantis existere; sed intellectus divinus non est creatura producibilis à Deo; neque coniunctus cum existentia creata constituit creaturam intrinsece in esse non repugnantis, alias Deus esset de essentia intrinseca creaturae quod est falsum: ergo intellectus divinus non est idem quod possibile, aut possibilitas creaturarum. Tandem, quia si intellectus divinus est possibilitas creaturarum: ergo tota ratio quare Angelus est possibilis est intellectus divinus: ergo creatura de se non est possibilis; sed potius est possibilis ab intellectu divino. Nunc interrogo, cur intellectus divinus, qui de se infinitus est non constituit omne, quod non est possibile in esse possibile, ac proinde cur chymaram non redderet possibilem; siquidem non maior ratio datur ex parte intellectus divini ad constituendum hoc potius quam illud in esse possibile; hoc enim non potest dici fieri ex parte intellectus ratione suae infinitae perfectionis.

<sup>123</sup> Dices non deficere ex parte illius, sed deficere ex parte ipsius chymarae, ex eo quod ex se sit repugnans existere, ac proinde ex se sit impossibile. Contra: ergo impossibile ut impossibile de se est tale sine dependentia à Deo: sed possibile est oppositum, & contrarium impossibile, & contrarium eadem est disciplina, & ratio: ergo possibile etiam quatenus possibile est de se non repugnans existere, & à se habet possibilitatem suam, sine eo quod in sua possibilitate dependeat à Deo, quod amplius postea probabitur; ergo ab intellectu divino non est possibilis creatura, neque possibilitas creaturae est intellectus divinus: sed potius de se, & à se est possibilitas, quia de se, & à se est non repugnans existere creaturam, ut patet ex definitione omnipotentiae, omnipotentia enim est infinita virtus Dei ad producendum, quicquid ex se non repugnat existere; Vnde omnia, quae de se non repugnant potest facere: ergo iam possibile ut possibile de se, & non ab alio est non repugnans, ac proinde de se, & non ab alio est possibile: sed intellectus divinus est aliud à creatura: ergo creatura non est possibilis ab intellectu divino.

<sup>124</sup> Deinde, quia nulla potentia potest constituere suum obiectum in esse possibile, etiam si constituit in esse actuali, quia tale obiectum, aut est prius potentia, aut est simul cum ipsa potentia; siquidem saltem extrinsece intrat definitionem potentiae: sed quod constituitur ab alio, neque est prius illo neque simul eum ipso; sed potius posterius ipso constitutivo: ergo intellectus divinus non constituit suum obiectum: sed obiectum intellectus divini est intelligibile: ergo intellectus divinus non constituit intelligibile in esse intelligibile.

<sup>125</sup> Vergetur, non est minus infinita in esse omnipotentiae, & voluntas in esse voluntatis, quam intellectus divinus in esse talis: sed voluntas, & omnipotentia non constituunt sua obiecta in esse possibilem; vnde omnipotentia dicitur esse, quae potest facere quicquid ex se, & à se non re-

pugnat: sed quod ex se non repugnat ex se est possibile, & possibile est obiectum omnipotentiae; ergo obiectum omnipotentiae ex se est tale, & non ab omnipotentia. Item voluntas non potest amare peccatum, quia de se est odibile, & non amabile; Vnde si de se non repugnaret amari, posset amari à Deo, quare si interrogemus, cur voluntas divina cum sit infinita, amet potius amorem Dei, quam odium Dei, & quare non extendatur per odium ad amorem odiendo actum charitatis, quem creatura elicit? Respondetur, quia actus charitatis est de se amabilis, & repugnat à se odio haberi, quia est bonum supernaturale: sed amabile ut amabile, & odibile ut tale est obiectum voluntatis: ergo obiectum voluntatis non est à voluntate, sed à se ipso; vnde neque voluntas neque omnipotentia constituunt sua obiecta in esse possibilem: ergo à paritate rationis propter eandem causam non poterit intellectus constituere suum obiectum possibile; sed tale obiectum est intelligibile ut intelligibile: ergo intellectus non constituit intelligibile in esse intelligibile, & ideo intelligibile ut intelligibile non dicit relationem ad intellectum: licet contra intellectus saltem per rationem, & in sententia multorum ex Adversariis etiam realiter dicat relationem ad intelligibile, quia relatio potentiae ad obiectum quae est in tertio genere relationis, & dicitur mensurabilis ad mensuram, est non mutua: atqui si intelligibile constitueretur ab intellectu, diceret relationem ad illum, quia omne constitutum dicit relationem ad suum constitutum, quare licet intelligibile non dicat relationem ad intellectum, nihilominus obiectum ut actu cognitum, & intellectum dicit relationem ad intellectionem, & cognitionem à qua constituitur in esse cogniti: ergo si intelligibile non dicit relationem ad intellectum, intelligibile non constituitur ab intellectu in esse intelligibile.

Sed demus constitui: ergo solum constituit in intellectu intelligibilitatem, & non ens possibile, quatenus ens possibile est, quia tale potius est obiectum omnipotentiae, quam intellectus: sed intelligibilitas est posterior ipso ente possibili, quia est attributum illius, essentia enim prior est attributis, & passionibus; ergo intellectus licet constituat ipsum attributum, non constituit essentiam entis possibili: ergo possibile ut possibile, & ut distinguitur ab intelligibili non est ab alio, sed à se, & ex alio capite est positivum: ergo est positivum independens, & à se: ergo Deus, quod falsum est: ergo falsa tua sententia.

Vergetur, quia nulla potentia potest tendere extra suum obiectum adaequatum, & ideo intellectus divinus non potest versari circa amabile ut amabile, constituendo illud in esse amabilis, quia amabile ut amabile est obiectum voluntatis, quae est alia potentia, saltem per rationem ab intellectu: sed possibile ut possibile est obiectum omnipotentiae, quae est potentia saltem per rationem distincta ab intellectu: ergo possibile ut possibile non potest constitui ab intellectu, ne versetur extra obiectum adaequatum, licet intelligibile ut intelligibile constituitur ab intellectu: atqui ex alio capite probatum est ex definitione ipsius omnipotentiae, siue sit intellectus divinus illa siue non possibile quod est obiectum illius, non constitui ab ipsa omnipotentia: ergo possi-

M m m 3 bil :



bile ut possibile non est ab alio, sed à se, (sed non est negatio à se, quia si talis esset, esset quid imperfectissimum à se, ac proinde non potest esse Deus, quia Deus est à se positivum ens perfectum, &c. unde si Deus licet esset à se non esset positivum ens nullo modo esset Deus, sicut vacuum quod est supra celum, licet sit à se, quia est negatio, & non positivum non potest dici quod sit Deus) & est positivum possibile: ergo Deus, quod est falsissimum.

128 Si autem illud possibile est quid realiter distinctum ab ipso intellectu divino, interrogo an sit creatura an Deus? si Deus: ergo duplex Deus realiter distinctus datur à parte rei, quorum unus sit intra intellectum alterius, quod est contra fidem catholicam dicentem: *Credo in unum Deum*, & præterea redeunt omnia argumenta, quibus demonstratur possibilitatem creaturarum non esse Deum, sive sit distinctus, sive idem, sive creatura: ergo producta à Deo per intellectum ab æterno, quod est falsum, quia omne creatum, quod fecit Deus fecit in tempore, in principio enim creavit Deus celum, & terram. Præterea quia si est creatura producta per intellectum divinum: ergo per actionem transcendentem à Deo ad creaturam producta est talis creatura: ergo talis creatura est extra causam, quia productio extrahit rem extra illam: ergo est extra Deum talis creatura, ac proinde extra divinum intellectum: ergo non est intra illum, imò si est intra Deum, & in ipso Deo non potest esse creatura, quia ut definitum est ab Eugenio in Concilio. Remensis contra Gilbertum Porretanum, omne quod in Deo est Deus est.

129 Dices esse tantum denominationem extrinsecam ab intellectu divino.

130 Contra: ergo creatura, quæ denominatur non est in ipso intellectu, alias non extrinsece denominaretur. Præterea quia denominatio extrinseca realis à parte rei non distinguitur à forma denominante, quæ intrinsece est in vno, & aliud extrinsece denominat, ut dexteritas respectu columnæ dexteræ: ergo hoc est: intelligibile, seu intelligibilitas non distinguitur à parte rei ab ipsa divina intellectione quæ intrinsece est in divino intellectu, quæque ut dicatur extrinsece denominare debet habere aliquid extra se quod extrinsece denominet supra quod cadat denominatio, & quod supponatur ad talem denominationem tanquam subiectum illius, ratione cuius subiectum talis denominationis non constituitur in suo intrinseco esse à tali forma denominante, sicut v.g. dexteritas habet extra se columnam, quæ distinguitur secundum suum esse intrinsecum ab ipsa dexteritate, & denominatione extrinseca, & supponitur tanquam subiectum materiale tali denominationi, & concreto, resultante ex ipsa, omnis enim materia præsupponitur concreto, ratione cuius non constituitur columna in esse intrinseco columnæ, licet in esse extrinseco dexteræ constituitur à dexteritate. Tunc sic, possibile per vos extrinsece denominatur in esse intelligibilis ab intellectu divino: ergo talis denominatio cadit supra ipsum possibile tanquam forma extrinseca supra subiectum extrinsecum, ut ex ipsis resultet concretum extrinsecum: ergo tale possibile ut possibile, præsupponitur tanquam subiectum materiale denominationi illi, aut esse extrinseco proveniente ab intellectu divino: ergo tale possibile, quod ita supponitur ut subiectum, licet in esse intelligibilis extrinseci constituitur

à Divino intellectu, non tamen in esse possibilis præsupposito intelligibilitati extrinsece, proveniente ab intellectu; de illo igitur possibili interrogo an sit à se, vel ab alio? non ab alio ut probatum est: ergo à se, si à se, vel positivum, vel negatio, aut non positivum; si non positivum, vel quod intendimus; si positivum: ergo datur ab æterno actu aliquid positivum à se, distinctum à Deo extra Deum, ac proinde increatum, imparticipatum, & per consequens primum, & non secundum ens: ergo distinctus Deus à Deo, quod est hæreticum.

Deinde, quia quando forma denominans extrinsece non producit, neque subiectum talis formæ producit, nullo etiam modo producit concretum ex illis, v.g. quia intellectio divina non producit, quæ est forma denominans Deum intellectum, & ex alio capite Deus, qui intelligitur ab ipso intellectu divino, non producit similiter ab intellectu divino, non producit divinam essentiam intellectu, seu Deus cognitus absolute: atqui intellectus, qui denominat possibile in esse intelligibilis nullo modo producit, neque possibile producit, quod denominatur ab intellectu: ergo totum concretum ex intellectu, & ex possibili, videlicet intelligibili nullo modo producit ab intellectu divino in esse intelligibilis.

## SVBSECTIO VI.

### Secunda ratio principalis ponitur.

131 **Q**uia si esse possibile creaturarum esset actu positivum, sequeretur Deum nihil creasse, nec posse creare ac per consequens nihil posse annihilare: sed hoc est falsum: ergo illud ex quo sequitur. Minor est de fide, ut patet ex illo, *In principio creavit Deus celum, & terram, &c.* & ex capite *Firmiter de summa Trinitate, & fide catholica*, ubi definitur ex nihilo creatam fuisse naturam Angelicam, quod de propria creatione debet intelligi, secundum communem sensum totius Ecclesiæ. Maior sic probatur, quia Deus produciens Angelum, v.g. solum posset producere illum, secundum existentiam supponens in illo esse positivum simpliciter essentia ab æterno quod est principaliter esse: ergo non produceret quod est totaliter, & ex nihilo simpliciter, & quando destrueret aliquid illud, non destrueret in nihilum, quia remaneret post destructionem illius necessario essentia positiva actualis, nem illius necessario essentia positiva actualis, quæ possibile positivum est necessarium, quod nullo modo potest destrui: ergo res non crearetur, Paret consequentia, quia creati est ita fieri ex nihilo, ut nihil illius quod constituit intrinsece id quod creatur præsupponatur, quia alias si præsupponitur, non fit ex nihilo; sed ex aliquo ente positivo simpliciter, & absolute præsupposita fiet, id est ex essentia positiva actuali, quæ præsupponitur; essentia enim comparata, cum existentia principaliter esse est; unde si produciatur non produciatur secundum totum, quod habet, sed potius solum secundum aliquid sui minus principale, scilicet secundum existentiam: sed id quod creatur, quia totaliter produciatur, debet fieri secundum totum intrinsecum quod habet: ergo non creatur aliquid.

Nec annihilatur, si quidem destructa existentia



## Quæst. II. Quid sit possibile, an positivum? 463

ria principaliter esse creaturæ remanet, quod est esse essentia actuale, & positivum; unde talis definitio rei, non in nihilum redit, sed potius in aliquod principaliter rei definitur: ergo nullo modo annihilaretur.

134 Confirmatur hoc totum, quia ideo non annihilatur equus, g. dum destruitur licet principaliter esse equi destruitur, quod est totum compositum, & inter partes, quæ est perfectior, nempe forma, prout vnita subiecto, quia aliquid equi, & hoc imperfectius, & minus principale, materia nimirum prima constitutiva inadæquate remanet, & persistit post corruptionem equi. Item productio equi, non est creatio, licet producatur de novo equus, & ex partibus vnio, & forma, quia non producit totaliter equus secundum omne quod datur in equo intrinsece constitutum illius, videlicet secundum materiam primam, quia illa quæ est minus principale constitutum equi præsupponitur, ac proinde non producit per illam actionem per quam producitur totus equus, & ideo non est totalis productio.

135 Evidentius videtur, definitio panis in consecratione hostiæ secundum certissima principia D. Thomæ non est annihilatio, licet destruitur tota substantia panis, tam quoad materiam quam quoad formam, & vnionem substantialem, seu nexum inter vitamque partem, & hoc ex eo tantum quod licet non remaneat aliquid substantiæ panis intrinsece constitutum illius in esse substantiæ, nihilominus remanet aliquid panis saltem accidentale, accidentia nimirum, quæ comparata cum forma, materia, & essentia positiva illius sunt maxime extrinseca, & ratio est, quia quomodocunque illa sint, sunt aliquid panis; unde quando destruitur per illam definitionem non definit omne quod pertinet ad panem quomodocunque sive accidentaliter, sive essentialiter cum remaneat aliquid pertinens ad illum, accidentia nimirum, & ideo non est destructio totalis, & per consequens non est annihilatio.

136 Atqui destructa essentia Angeli, quæ imperfectius quid est, & minus principale comparata cum essentia positiva remanet tota essentia Angeli, quæ principalior est in constitutione Angelis: sola illa essentialiter, & quidditative constituit Angelum: ergo definitio Angeli secundum vestra principia non est definitio totalis, sed solum accidentalis, & non essentialis; siquidem solum definit essentia, quæ aut est modus, aut accidens essentia in vestra sententia: ergo definitio illa non est annihilatio. Item amplius declaratur hoc, nam ex eo quod destruitur modus inhærentiæ, in quantitate Eucharistiæ, vel ex eo quod destrueretur substantia humanitatis Christi remanente tota natura, non dicitur annihilari quantitas, & naturam hominis, quia remanet essentia quantitatis, & hominis, quæ est humanitas: imo si quantitati, & accidentibus separatis in Eucharistiâ tribueret Deus per creationem vnionem accidentalem ad subiectum, vt multi neoterici probabiliter iudicant. Item si Deus poneret humanitatem Petri sine omni substantia, & posita illi tribueret substantiam per creationem, neque accidentia illa vnita, neque humanitas Petri, diceretur creata ex vi illius actionis, quia ante illam præsupponuntur accidentia, & humanitas secundum essentiam, & naturam, ratione cuius nullo modo potest dici ex vi illius actionis totaliter produci humanitatem, & acciden-

tia. Item si Petro per creationem tribueretur aliquod accidens, vel modus, non diceretur absolute Petrus creatus, sicut nec diceretur annihilatus Petrus, ex eo quod definitur existente Petro talis modus; imo qui ita loqueretur irrisione dignus esset, cuius ratio evidens est, quia ante productionem illius modi vel accidentis supponitur tota essentia, & natura Petri, quæ per talem productionem non producit: sed ante omnem productionem Dei per vos præsupponitur tota essentia rei, quæ à Deo non producit: cum solum producat modus existentia, & quando destruitur res permanet post destructionem tota essentia, & solum definit existentia, quæ est modus, aut accidens essentia: ergo nulla res potest creari à Deo, quia non potest totaliter produci, aut ex nihilo fieri ab ipso, cum ex aliquo fiat, & principaliori, scilicet ex tota essentia præsupposita. Neque vlla potest annihilari ab ipso, cum non possit totaliter destrui nec definire aut abire in nihilum; siquidem tota essentia permanet post destructionem, solum destructo modo, & accidenti essentia quod est existentia, unde in aliquid abit, & definit, scilicet in possibilitatem actualem positivam, quæ tota essentia à vobis dicitur.

Dices possibilitatem illam actualem positivam non esse aliquid simpliciter, sed solum aliquid secundum quid, & hoc sufficere vt producatur res ex nihilo simpliciter, ac proinde vt creetur, & per consequens possit annihilari.

Sed contra, si semel concedatur quod possibilitas sit aliquid positivum, sine dubio possibilitas erit aliquid simpliciter: ergo nulla est solutio. Probatur antecedens, possibilitas Petri v. g. est essentia Petri, sed essentia Petri non solum est aliquid simpliciter, sed potius principaliter esse simpliciter, imo comparatum cum existentia est totum esse simpliciter, quia existentia ex eo quod sit modus, aut accidens essentia est tantum esse secundum quid: ergo possibilitas Petri actualis positiva, est aliquid simpliciter; maior est sententia adversariorum, quam impugnamus, minor est evidens ipso lumine naturæ.

Et si dicant adversarii, quod possibilitas Petri non est essentia Petri, in primis sibi ipsi opponuntur, quia ipsi asserunt essentiam creaturæ esse ab æterno necessariam: sed possibilitas creaturæ est solum ab æterno necessaria: ergo possibilitas creaturæ est essentia illius: ergo negant id quod affirmant; deinde contra illos efficacius argumentor: ergo essentia Petri non fuit possibilis quod est absurdum, quia si non esset possibilis, vt sæpe diximus, non produci actualiter: ne ergo hæc absurda sequantur, dicendum est essentiam Petri esse possibilem, habereque suam possibilitatem: ergo possibilitas Petri est essentia Petri, quod patet manifeste, quia id quod constituit essentialiter aliquid est de essentia illius: sed possibilitas constituit essentialiter Petrum: ergo est de essentia Petri. Mino sic probatur, quia id per quod aliquid distinguitur essentialiter ab alio, constituit ipsum essentialiter: sed Petrus distinguitur à chymæra, seu re impossibili, per possibilitatem, quia possibile per possibilitatem differt ab impossibili, & constituitur in esse talis, sicut rationale differt ab irrationali & bruto, & constituitur in esse talis per rationalitatem: ergo Petrus per possibilitatem constituitur essentialiter, ac proinde possibilitas erit essentia Petri: sed essentia Petri est aliquid simpliciter: ergo possibilitas



tas Petri est aliquid simpliciter: minor est evidens, quia essentia Petri est res substantialis, actualis, & positiva: sed res substantialis, &c. est aliquid simpliciter: ergo essentia Petri est aliquid simpliciter: sed res producit ex sua essentia: ergo producit ex aliquo simpliciter, ac proinde non producit ex nihilo, & sic non creabitur.

Dices essentiam actualem esse simpliciter ens, non vero essentiam possibilem.

<sup>140</sup> Sed contra, quia per vos essentia actualis est eadem essentia possibilis formalissime: sed essentia actualis est simpliciter ens, & aliquid: ergo essentia possibilis est simpliciter ens. Maior est sententia adversariorum, & si aliquis neget illam, colligatur contradictoria eius: ergo essentia actualis, & possibilis non sunt eadem essentia formalissime: ergo est distincta essentia actualis à possibili: ergo v. l. essentia actualis fuit possibilis, vel non fuit possibilis: si fuit possibilis: ergo essentia actualis, & possibilis est eadem formalissima essentia: si non fuit possibilis: ergo repugnat produci: ergo ut hoc non dicatur dicendum est essentiam actualem, & possibilem esse eandem formalissimam essentiam: sed essentia actualis est ens, & aliquid simpliciter: ergo & essentia possibilis est ens, & aliquid simpliciter. Minor est evidens, alias enim nullum dabitur quod sit ens simpliciter, quia omne ens aut est actuale, aut possibile: sed possibile non est ens simpliciter per vos: ergo ens actuale est ens simpliciter: ergo & ens possibile est simpliciter. Patet consequentia evidenter in vestris principiis, quidquid convenit alicui essentialiter in quocumque statu illi debet convenire, & predicari de illo tale predicatum: sed essentia Petri convenit essentialiter esse ens simpliciter: ergo in quocumque statu convenit essentia Petri esse ens simpliciter: ergo essentia in statu possibilitatis convenit essentialiter esse ens simpliciter. Patet consequentia, status possibilitatis secundum adversarios est status accidentaliter respectu essentia rei, ita ut eadem essentia formalissime sit sub statu possibilitatis, & actualitatis: sed quod convenit rei essentialiter per vos convenit illi sub quocumque statu accidentali: ergo essentia Petri convenit essentialiter sub statu possibilitatis esse ens simpliciter.

<sup>141</sup> Confirmatur, ideo secundum adversarios ut contra nos argumentantur esse animal rationale simpliciter convenit Petro, non solum sub statu actualitatis, sed etiam sub statu possibilitatis, quia animal rationale convenit essentialiter Petro, & ideo existentia non convenit Petro, sub statu possibilitatis, quia existentia secundum adversarios convenit accidentaliter Petro, imo ideo colligant, ut ipsi asserunt, evidenter existentiam accidentaliter convenire Petro, quia non convenit illi in omni statu in quo est ipse Petrus: sed essentia Petri convenit per vos, essentialiter esse ens simpliciter: ergo illi debet convenire sub quocumque statu, vel à contrario scilicet si essentia Petri non convenit sub quocumque statu esse ens simpliciter, non convenit illi essentialiter. Ex quo ulterius sequitur evidenter Petro non convenire essentialiter esse substantiam, corpus, vivens, animal, &c. quia quotiescunque de aliquo subiecto negatur aliqua ratio superior sub ea ratione, qua negatur de illo ratio superior, negatur de ipso omnes rationes inferiores contentae

sub illa ratione superiori: sed de essentia Petri negatur, quod sit essentialiter ens simpliciter, quod est ratio superior: ergo etiam negatur de essentia Petri quod essentialiter sit substantia, corpus, vivens, animal, homo, quae sunt rationes inferiores contentae sub ratione superiori entis. Maior est evidens lumine naturae, & ideo est evidens haec consequentia, Petrus non est animal: ergo non est homo. Minor est sententia, quam impugnamus: consequentia inferitur manifeste, & est absurdissima, quia Petrus essentialiter est animal, vivens, corpus, &c. ergo etiam est essentialiter ens simpliciter.

Et si dicas esse ens simpliciter convenire essentiae rei in statu actualitatis, & ratione illius.

Sed contra: ergo illi convenit accidentaliter esse ens simpliciter. Patet consequentia, quod convenit rei ratione status actualitatis, & existentiae convenit illi accidentaliter: sed essentia Petri convenit esse ens simpliciter ratione status actualitatis, & existentiae: ergo essentia Petri convenit accidentaliter esse ens simpliciter. Maior est evidens in sententia contraria, ideo enim contingentia convenit accidentaliter essentiae Petri, quia convenit illi ratione status actualitatis, & existentiae, & ratio est evidens in metaphisica, quia quicquid convenit alicui subiecto ratione alicuius accidentis, convenit illi accidentaliter, sicut quia Petro convenit disgregare visum ratione albedinis, quae est accidens, convenit etiam illi accidentaliter disgregare visum: sed per vos essentia Petri convenit esse ens simpliciter ratione status actualitatis, & existentiae, qui per vos est accidens respectu essentiae Petri: ergo convenit illi accidentaliter esse ens simpliciter quod est absurdum ut probatum est, qui si esse ens simpliciter non convenit Petro sub statu possibilitatis: ergo in illo statu datur negatio entis simpliciter: ergo quicquid est in statu possibilitatis, est negatio. Patet consequentia, quando in aliquo subiecto datur negatio entis simpliciter, quicquid est in illo subiecto est negatio: sed in ente possibili datur negatio entis simpliciter: ergo quicquid est in illo est negatio. Maior, meo videri, est lumine naturae nota, ideo enim quicquid est in cecitate est negatio, quia in cecitate est negatio entis simpliciter, & ideo non est negatio quicquid est in caeco, quia in caeco non datur negatio entis simpliciter, quia ad minus subiectum non dicit negationem entis simpliciter: sed in possibili est negatio entis simpliciter: ergo quicquid est in possibili est negatio, quod nos intendimus; ex quo sequitur alia implicatio interminis in sententia contraria, quia aliquid quod est actuale, non fuerit possibile, quia illud quod est ens actualiter, & simpliciter non est simpliciter quod est possibile formaliter non est simpliciter ens, quia est negatio entis simpliciter: ergo illud quod est actuale, non est illud quod fuit possibile. Patet evidenter consequentia, quando aliquibus conveniunt praedicata essentialiter distincta, actuali conveniunt praedicata essentialiter distincta: ergo distinguuntur essentialiter. Maior constat ex dictis supra: minor probata est iam: consequentia manifeste colligitur, & est contra totam doctrinam contrariorum, & contra praecipuum fundamentum, quo moventur ad asserendum ens possibile consistere in positivo.

Dices



## Quaest. II. Quid si possibile, an positivum? 465

143 Dices quod possibile in quantum opponitur impossibili, est ens simpliciter; at vero in quantum opponitur enti actuali est non ens simpliciter, & negatio.

144 Sed contra primo, quia essentia rei est invariabilis quocunque modo sumatur; nam quantitas respectu cuiuscunque semper est accidens; ergo possibile, vel est positivum vel negativum, quocunque modo sumatur.

145 Contra secundo, & sumo possibile comparatum cum ente actuali; vel possibile opponitur enti actuali, privative; vel contradictorie, vel contrarie metaphysice ut opponitur equo, & homo, materia, & forma; si primum absolute, & simpliciter est quid negativum, cum quocunque comparatur. Probatur consequentia, illud quod opponitur contradictorie vel privative alicui enti positivo, est negativum formaliter, & intrinsece, & si opponitur alteri negationi non potest esse positivum, neque opponi alteri negationi contradictorie vel privative: sed possibile formaliter, & immediate opponitur contradictorie alicui positivo: ergo in se formaliter intrinsece est quid negativum, & si opponitur alicui negationi, non potest esse positivum, neque opponi illi negationi contradictorie vel privative. Maior est evidens lumine naturae, nam quia non homo (& loquor de illo non infinitanter: sed negative) opponitur contradictorie homini qui est terminus positivus essentialiter, & intrinsece est negatio etiam si comparatur cuicumque negationi, & sic non potest esse quid positivum, neque opponi alicui negationi contradictorie, & quia cæcitas opponitur privative visui, est formaliter, & intrinsece quid negativum, & etiam si comparatur non visui quæ est negatio visus existens in lapide; non est quid positivum neque opponitur contradictorie illi, alias etiam ego dicam quod cæcitas quatenus opponitur visui, sit quid negativum, & quatenus opponitur non visui, sit quid positivum, & etiam non visus quatenus opponitur visui potest dici quod sit quid negativum, & quatenus opponitur cæcitati sit quid positivum, & sic nulla erit negatio quæ non sit quid positivum, quod falsissimum est, quia negatio, & positivum distinguuntur à parte rei, quod si aliqui dixerint quod duæ negationes possint opponi contradictorie, nihilominus de duobus positivis, nemo ita deliravit ut hoc dixerit: ergo si possibilitas opponitur contradictorie, aut privative enti actuali erit in se formaliter, & intrinsece quid negativum, & etiam si comparatur cum impossibili, non erit quid positivum, neque opponetur contradictorie illis.

146 Dices quod possibile, non opponitur contradictorie, neque privative immediate enti actuali: sed mediate, & sic poterit esse quid positivum comparatum cum impossibili.

147 Sed contra, & est secunda pars principalis consequentiae: ergo vel possibilitas ratione sui, & immediate non opponitur enti actuali: sed ratione alicuius negationis vel privationis sibi superaddita. Tunc sic: ergo possibilitas adhuc in quantum opponitur enti actuali non est quid negativum, Patet evidenter consequentia, quia quando aliquid opponitur alicui positivo media aliqua negatione sibi superaddita, necessario illud est quid positivum adhuc comparatum illi positivo cui opponitur: sed possibilitas opponitur

enti actuali: ergo est quid positivum media aliqua negatione sibi superaddita: ergo possibile adhuc ut comparatum cum ente actuali est quid positivum. Maior meo videri est evidens; nam ideo homo est quid positivum adhuc in quantum opponitur equo, quia opponitur illi media aliqua negatione sibi superaddita, & etiam aer tenebrosus adhuc comparatus luci est quid positivum, quia opponitur luci per aliquam negationem sibi superadditam; & non dico quod aer tenebrosus in quantum tenebrosus formaliter sit quid positivum: sed aer tenebrosus materialiter sit subiectum tenebrarum, quod est aer, & ratio est, quia si subiectum tenebrarum esset quid negativum, non indigeret aliqua negatione sibi superaddita ut negaret lucem; quæ est quid positivum. Minor est sententia, quam impugnamus; asserunt enim quod negatio, quæ datur in possibili respectu actualis existentiae, est privatio quæ necessario supponit aliquid subiectum: ergo possibile adhuc ut comparatum enti actuali est quid positivum: sed hoc est absurdum, ut probatum est, & quod intendunt fugere, qui ita respondent, ne cogantur dicere, quod res necessario producit ex aliquo positivo, & per consequens, quod nulla res potest creari: sed Angelus v. g. creatur: ergo possibilitas Angelus est negatio, & non aliquid positivum.

Dices, quod etiam si possibile dicat negatio 148  
nem entis, nihilominus non est non ens, & negatio, sicut etiam si homo pictus dicat negationem hominis veri, nihilominus non est negatio.

Sed contra; quia ideo homo pictus non est ne- 149  
gatio, quia non dicit negationem omnis entitatis: sed possibile per vos dicit negationem omnis entitatis: ergo possibile est negatio. Minor probatur, vel possibile dicit negationem alicuius entis, solum existentis in Petro, v. g. vel dicit negationem omnis entis existentis in Petro; sed non potest dicere negationem solum alicuius entis, quin dicat negationem omnis entis existentis in illo: ergo dicit negationem omnis entis existentis in Petro. Minor probatur, quod dicit negationem alicuius entis existentis in Petro: (& loquor de ente, quod sit essentia, & existentia) dicit necessario negationem omnis entis existentis in Petro; ergo si possibile dicit negationem alicuius entis existentis in Petro, dicit etiam negationem omnis entis existentis in illo: Antecedens meo videri est evidens; in principiis sententiae, quam modo impugnamus; nam, qui ita respondet, asserunt essentiam, & existentiam non distingui: sed quod dicit negationem alicuius entis necessario dicit negationem omnium, quæ identificatur cum illo: ergo quod dicit negationem existentiae Petri dicit negationem essentiae ipsius; unde negatio existentiae Petri erit negatio essentiae ipsius: ergo erit negatio omnis entis. Patet ultima consequentia quia vel illud ens positivum quod diceret possibile formaliter remaneret producto Petro; vel non remaneret; si remaneret, ergo esset essentia Petri: ergo non diceret negationem essentiae Petri, quia nihil dicit negationem sui ipsius: ergo neque diceret negationem existentiae Petri propter rationem dictam: ergo non remanet posita existentia Petri: ergo non est quid positivum. Patet ultima consequentia, illud non est positivum cui repugnat existere: sed illud quod dicit possibile, & quod

N n vocatur



vocatur positivum ab adversarijs, ita se habet ut repugnet existere, quia adveniente existentia destruitur: ergo non est positivum.

150 Si autem respondeas etiam si possibile sit positivum rem creari, quia fit ex nihilo existentia, etiam si fiat ex aliquo essentia. Contra, quia esse essentia creatura ante coniunctionem cum esse existentia, vel est simpliciter nihil vel simpliciter aliquid positivum, non enim potest excogitari medium inter hæc extrema, cum opponantur contradictorie: si simpliciter aliquid: ergo nulla creatura absolute ex nihilo producta est: sed potius ex aliquo essentia, tanquam ex potentia quadam positiva existentia producta erit: unde sicut generatio hominis facta ab alio homine, non est simpliciter ex nihilo hominis: sed ex aliquo materia simul concurrente, & præsupposita ad actionem illam productivam hominis, ita similiter nec productio creaturarum, secundum esse existentia erit absoluta productio ex nihilo, sed potius ex aliquo: ne ergo hæc sequantur dicendum est possibilitatem non esse aliquid positivum, sed negationem.

### SVBSECTIO VII.

*Alia solutio Adversariorum oppugnatur.*

151 **A**liter alij respondent dicentes absolute creaturam creari, fierique ex nihilo, esto secundum esse essentia positivum præsupponatur productioni existentia, quia quando creatio dicitur productio rei ex nihilo, solum est medio tollitur ex vi illius definitionis causa materialis receptiva, & ex qua res educatur: non vero præsuppositum esse alterius rei ad alteram quæ per actionem creativam producat, quare cum esse essentia creatura non sit potentia subiectiva vel receptiva existentia, sed solum potentia obiectiva, fit ut quantumvis esse essentia actuale, & positivum præsupponatur ad esse existentia, seu productioni illius, creatura non dicatur absolute fieri ex aliquo sui, sed ex nihilo.

Sed contra, quia existentia in sententia contraria recipitur in essentia, ac proinde est potentia receptiva, & non solum obiectiva illius: ergo nulla est solutio: antecedens constat primo, quia ideo probant adversarij essentiam, & existentiam distingui, quia si essentia, & existentia non distinguerentur, existentia esset irrecepta, quod reputant maximum absurdum ut videre est in *questione. Vtrum essentia distinguatur ab existentia*: ergo existentia recipitur in essentia: ergo essentia est causa materialis illius: ergo illud quod de novo producit non creatur, quia producit ex aliquo subiecto, unde Angelus nullo modo creabitur, quia neque creatur ratione essentia, illa enim per vos est improductibilis, neque ratione existentia, quia illa producit ex aliquo subiecto.

152 Secundo probatur idem antecedens, existentia in sententia Thomistica denominat, actuat, & perficit essentiam intrinsicè constituendo ipsam extra causas: ergo recipitur in illa intrinsicè tanquam in subiecto. Probatur consequentia, omnis actus, & perfectio recipitur intrinsicè tanquam in subiecto in re, quam perficit, actuat, & constituit: sed existentia perficit, actuat, & constituit intrinsicè essentiam extra causas: ergo recipitur in-

trinsicè in illa tanquam in subiecto dependendo ab ipsa in esse fieri, & conservari: ergo educitur, quia educio est fieri dependenter ab aliquo tanquam à subiecto.

Tertio essentia, & existentia, ut asserit Albertus, componunt: ergo existentia recipitur in essentia tanquam in causa materiali illius. Probatur consequentia, omnis compositio aut est per modum continuationis, aut est per modum actus, & potentia: non est per modum continuationis: ergo est per modum actus, & potentia: sed in compositione per modum actus, & potentia, potentia est subiectum actus, & actus recipitur in potentia tanquam in subiecto, & causa materiali, sive talis compositio sit accidentalis, sive substantialis, ut videre est in compositione equi ex materia, & forma, & in compositione albi ex albedine, & pariete. Probatur minor, compositio per modum continuationis est solum in genere intensivo, vel in genere extensivo: neque est per modum intentionis, neque per modum extensionis: ergo nullo modo est compositio per modum continuationis. Maior procedit à sufficiente enumeratione compositionum per modum continuationis: imo si in rigore esset loquendum, sola compositio extensiva, est per modum continuationis, quia intensiva reducitur ad compositum per modum actus, & potentia. Probatur minor, omnis compositio intensiva, est propria qualitatibus: sed multa componuntur ex essentia, & existentia non potest esse per modum intentionis. Maior est sententia omnium Doctorum, cum Aristotele, qui *cap. de Substantia*, asserit substantiam non suscipere magis, & minus, & *cap. de Qualitate*, asserit, qualitatem suscipere magis, & minus, & ut explicant omnes Doctores, suscipere magis, & minus nihil est aliud, quam rem esse capacem intentionis, vel dicant adversarij, quo alio argumento esset convincendus qui diceret hominem componi intensive, quatenus componitur ex natura, & substantia, & per consequens Christum Dominum esse intensive compositum: ergo compositio per modum intentionis est propria qualitatibus. Minor præcipua est evidens, quia Angelus secundum adversarios componitur ex essentia, & existentia: sed Angelus non est qualitas: ergo non omnis compositio ex essentia, & existentia est in qualitatibus.

Deinde compositio ex essentia, & existentia, non potest esse per modum continuationis, quia hæc est propria rei materialis, & ad minus est in ordine ad locum extensum in sententia ipsorum adversariorum, & ideo ipsi negant qualitates spirituales posse continuari extensive: sed Angelus non est res materialis, neque extensus in ordine ad locum: ergo non componitur extensive, quatenus componitur ex essentia, & ex existentia: ergo solum restat quod compositio per modum actus, & potentia sit, quæ fit ex essentia, & existentia, quod etiam amplius videtur, quia partes determinatæ componentes unum per modum continuationis talis conditionis sunt, ut saltem divinitus in visum divisæ, & separatæ possint conservari: sed per te, quamvis esse essentia possit separatim ab esse existentia persistere, non tamen potest nec divinitus esse existentia conservari separatim ab essentia: ergo non vniuntur inter se per modum continuationis. Maior inductione facit.



cile ostenditur in omni ente composito, per modum continuationis, quod nos cognoscimus, ut in quantitate, substantia corpora, & qualitate, quorum partes omnes integrales saltem divinitus separari, & existere possunt sine partibus quibus non communicant.

Tandem, quia nulla pars, quae per continuationem vnitur alteri, denominatur altera, actu ipsam, ac perficit eandem, ut videre est in partibus quantitatis: sed existentia, quae vnitur essentiae, perficit, & actu ipsam: ergo non vnitur ipsi per modum continuationis. Reliquum ergo est ut compositio ex essentia, & existentia sit compositio per modum actus, & potentiae, cum autem omnis compositio per modum actus, & potentiae fiat ex aliqua causa materiali, & de se receptiva, & ex actu determinante illam, necesse est ut compositio ex essentia, & existentia fiat ex aliqua causa materiali recipiente actum, & ex actu determinante illam: sed causa haec materialis non potest esse ipsa existentia, cum per illam perficiatur essentia, & extrahatur à possibilitate ad actum secundum existentiam: ergo essentia erit causa materialis existentiae: ergo productio creaturae, secundum esse existentiae non erit absoluta creatio, quia creatio est productio rei ex nullo praesupposito subiecto, sed ad productionem creaturae secundum esse existentiae, praesupponitur causa materialis, & subiectum receptivum existentiae: ergo.

154 Dices primo praeter compositionem per modum continuationis, & per modum actus, & potentiae passivae, seu receptivae esse aliam compositionem ex actu etiam, & potentia non receptiva: sed quam appellat Caietanus *quasi 9. ad caput quintum, de ente, & essentia, differentia octava*, compositionem cum his illamque intercedere inter essentiam, & existentiam creatam, quia proprie loquendo, ut existimat author hic, nulla res datur quae constet ex esse & essentia, sicut constant plures res, ut equus, v. g. & homo ex materia, & forma: sed essentia solum componitur cum existentia, & e converso; itaque Caietanus, & alij Neoterici ipsius vestigijs insistentes, ut subterfugerint vim argumenti, & ne contra D. Thomam lib. 2. contra Gentes, cap. 33. negarent esse, & essentiam in creatis habere rationem actus, & potentiae, commentitiam hanc solutionem excogitarunt, ut advertit P. Suarez quos manifeste falsitatis redarguit hoc modo.

155 Quia omnis compositio vera secundum diversas habitudines est compositio ex his, & cum his, vel huius ad hoc (ut proprius Durandus dixit); nam in ordine ad terminum qui ex compositione resultat, dicitur compositio ex his, quia compositum non componitur cum componentibus: sed componitur ex illis; secundum autem habitudinem componentium inter se dicitur compositio cum his, vel huius ad hoc, quia unum cum alio componitur tertium; impossibile autem est dari aliquam veram compositionem, quin detur aliquid per illam compositum, quod unitatem aliquam habeat compositioni proportionatam: ergo impossibile est dari veram compositionem, quin sit compositio ex his. Consequentia est evidens ex dictis, & ex ipsa terminorum significatione: quid enim aliud est esse compositionem ex his nisi esse compositionem unius rei constantis ex multis. Antecedens vero patet, quia omnis vera actio praesertim transiens habet aliquem ad-

R. P. Ildeph. de Peña. Theol. Schol. Tom. I.

quatum terminum; ergo & compositio habet adequatum terminum ad quem terminetur, qui esse non potest nisi compositum.

Item, quia omnis compositio sit per unionem componentium, ex unione autem resultat unum non simplex: sed compositum. Sic igitur, si compositio ex esse, & essentia est vera, & realis compositio, ut ipsi dicunt, negari non potest, quin sit compositio ex his, sicut etiam negari non potest quin ex ea resultet una res composita; nam si haec non datur, quid quaeso est, quod ex esse, & essentia componitur?

Item Caietanus nullam rationem affert, neque afferre potest cur ex esse, & essentia non componatur una res. Item alioqui pari ratione diceret ex subsistentia, & natura non fieri unum quid, quod est plane falsum, quia suppositum substantiale est vere unum. Sequela patet, quia etiam haec compositio non est ex partibus substantiabilibus: sed ex essentia, & termino, seu modo essentiae.

Secundo sic argumentor, quia vel existens est unum, vel plura: sed non plura: ergo unum simpliciter. Probatur minor manifeste in Christo Domino, qui in sententia Caietani componitur ex essentia humana, & existentia Verbi divini: sed Christus Dominus ut fides catholica docet, est unus simpliciter ut habetur in Symbolo sancti Athanasij, ibi: qui licet Deus sit, & homo, non duo tamen, sed unus est Christus, &c. ergo existens seu compositum ex essentia, & existentia, est unum simpliciter: sed illud est unum tertium distinctum à quolibet extremo: ergo, &c. Probatur minor, illud est tertium, quod resultat post compositionem, & quod includit utrumque extremum, & distinguitur à quolibet illorum; sed existens post compositionem includit essentiam, & existentiam, & distinguitur à quolibet illarum: ergo existens est unum tertium compositum ex essentia, & existentia, v. g. Christus Dominus est unum tertium compositum distinctum à natura humana, & existentia Verbi scilicet sumptis, ex quibus componitur ut loquuntur Concilia, & sancti Patres: unde qui oppositum assereret, faceret contra modum loquendi sacrorum Canonum, decernentium Christum Dominum ex duabus, & in duabus naturis subsistere. Item alias quilibet fingeret etiam quod materia, & forma non componunt unum tertium, quod est falsissimum praeterquam quod ad nostrum argumentum sufficit, quod existentia recipiatur in essentia, quod concedit Caietanus, quia ex hoc sequitur manifeste actionem productivam creaturae non esse creationem, quia est productio ex praesupposito subiecto.

Dices secundo, quod ut actio non sit creativa debet esse ex praesupposito subiecto existente.

Sed contra evidenter in sententia Thomistica, 159 quia actio quae producta fuit forma ignis, non fuit creatio: sed illa non fuit ex praesupposito subiecto existente; ergo, &c. maior est certa apud adversarios, quia forma ignis educitur in eorum sententia, quod late probatum est in Physicis. Probatur minor, forma ignis fuit producta ex materia prima: sed materia prima non fuit praesupposita ut existens, ad illam formam, quia existit per existentiam ipsius formae; ergo forma ignis, & quaecumque alia substantialis non fuit producta ex praesupposito subiecto existente, & nihilominus multae formae substantiales in sententia

Nun 2 tentia



tentia adversariorum educuntur, & non creantur: ergo ut aliqua res non creetur non est necesse ut producat ex subiecto existente.

160 Aliter respondent adversarij, dicentes animum rationalem absolute creati etiam si producat in materia de se receptiva, & quæ illi secundum rem præsupponatur: ergo similiter creatura dicitur absolute creati etiam si actus existentie producat in esse essentie, & hæc sit causa materialis, & subiectum receptum illius.

161 Sed contra, quia productio animæ rationalis esto ex lege ordinaria sit in materia prima quam est informativa, est tamen simpliciter independens ab illa, ut ostendit firma eius persistencia per modum conservationis, adhuc animo separato à materia, destructoque composito; sed productio existentie non est independens ab essentia: sed potius est dependens omnino ab illa, à qua nec divinitus potest separari ut docent ipsi adversarij, ex quo manifeste colligitur existentiam dependere ab essentia in esse fieri, & conservari, ratione cuius existentia educitur, & non creabitur, quia definitio eductionis est productio dependens à subiecto: ergo quamvis productio animæ rationalis in materia sit absoluta creatio productionis, tamen existentia in essentia non erit absoluta creatio: sed potius ut dixi quædam eductio, cum productio existentie non solum sit in essentia, tanquam in materia, seu potentia passiva, & receptiva, quatenus terminus per illam productus, non distat præsentialiter ab illa, ut illi substantialiter uniatur sine ulla dependentia, sed etiam quatenus ab illa dependet ut à causa influente, substantante, & materiali quam supponit necessario, quod non contingit eodem modo in animo rationali.

162 Ad hæc ut aliquod compositum dicatur absolute creati, non solum opus est ut aliqua ex partibus, quibus constat, simpliciter creetur: sed etiam omnes, & unio, vel vinculum, quo illæ inter se connectuntur, cum actio productiva compositi in quantum talis sit actio ipsa unitiva partium eius, ut late probat *libri de celo*: ergo ut compositum ex essentia, & existentia creetur, non sufficit creati esse existentie, si ipsum esse essentie sit improductum, & increatum, & ex ipso per modum causæ materialis producat unio, & compositum existens.

163 Si respondeas Deum posse producere formam lapidis à materia per actionem dependentem ab illo; imo, & formam actu pendente à materia, seu illi inhaerentem unire eidem materiæ per actionem creativam, & compositum illud vocaretur simpliciter creatum.

164 Sed contra manifeste, quia negandum est compositum illud absolute vocandum creatum, quia dicit dependentiam. Tum in unione, tum in forma à subiecto, & causa materiali, ratione cuius probabilissimum existimo nullum posse dari compositum essentiale, quod possit appellari creatum, quia licet materia, & forma creentur, ut videre est in homine, unio tamen nullo modo adhuc divinitus potest creatione produci, quia est modus informationis, & quatenus talis dependet necessario ab una parte tanquam à subiecto, & causa materiali quod opponitur creationi, quæ petit esse productionem rei independentis à subiecto.

## SVBSECTIO VLTIMA.

*Postremum argumentum principale ponitur.*

**O**Via si possibile ab æterno est actu positivum, existeret ab æterno: sed non existit ab æterno, ut est certissimum in nostra fide, quia quicquid existit extra Deum existit, & est productum in tempore: ergo ens possibile non est quid positivum. Probatur maior, illud est existens, quod habet esse actu vere, & extra causas, quia non continetur intra illas: ergo esset existens.

Dices, quod illud est extra causas, quod actu producat ab ipsa causa.

Sed contra: ergo Deus non existit. Probatur 165 consequentia, Deus non producat ab aliqua causa, imo neque potest produci: sed illud quod non producat non est extra causas, & per consequens non existit: ergo Deus non existit; sed hoc est hæreticum: ergo Deus existit; sed ideo Deus existit, quia habet esse actuale positivum, & quia habet illud independentem ab alio, habet illud à se, & necessario: sed possibile ab æterno habet esse actuale verum, & reale distinctum à Deo: ergo est existens ab æterno.

Confirmatur, & sumo existentiam ut sic, quæ 166 tenus præcendit ab existentia creata, & increata. Conceptus essentialis existentie ut sic est solum, quod opponitur non enti, & quod sit ens reale, quia quicquid addatur non pertinet ad conceptum existentie ut sic; sed potius ad conceptum talis, & talis existentie: sed ens possibile ab æterno est verum ens reale positivum, & oppositum nihilo: ergo est existens. Maior probata est; minor est sententia, quam oppugnamus; consequentia patet evidenter, quia cuicumque convenit definitio essentialis existentie, convenit existentie; sed enti possibili convenit definitio essentialis existentie: ergo convenit existentia. Alia argumenta videantur apud Patrem Hurtado, ut est illud de actu assensus, & dissensus quod actualiter esset in eodem intellectu, & actualiter esset peccatum, & gratia, & actualiter salvaretur, & condemnaretur; & ego actu essem in pluribus locis, quia habeo plures per essentias locales, secundum suum esse essentiale, & actuale, & solum ponderabo hic, quod simul esset in eadem materia privatio, & forma illius; sed hoc est impossibile, quia privatio, & forma opponuntur: ergo, &c.

Dices quod privatio non opponitur possibili 167 tati formæ: sed existentie illius exercitæ provt exercitæ, quæ tunc non datur, quando datur privatio. Bene respondes, sed contra omnia tua principia: ergo privatio actualiter connotat, quod non est actualiter. Patet consequentia, privatio actualiter connotat existentiam formæ exercitam provt exercitam; sed existentia formæ exercita provt exercita, non est actualiter quando connotatur à privatione: ergo connotat aliquid actualiter, quod actualiter non est. Tunc sic, illud etiam quod connotat actualiter privatio, connotat quod actualiter materia prima, quando est sub privatione formæ, quia connotat id per quod actualiter simpliciter destruetur in illa privationem: sed id per quod actualiter simpliciter destruetur, quod destruet privationem est existentia formæ exercita provt exercita, quæ actualiter non datur: ergo



ergo bene potest aliquid connotare actualiter id, quod actualiter non datur: sed potius quando datur negatio illius: ergo ex eo quod omnipotentia divina connotet actualiter essentiam creaturæ ab æterno, non est necessarium quod ab æterno datur actualiter essentia creaturæ; sed poterit ab æterno dari negatio totius essentia creaturæ connotata ab omnipotentia.

168 Dices quod datur existentia formæ possibiliter.

169 Sed contra, quia privatio non opponitur existentia possibili formæ: ergo nulla est solutio. Probat antecedens: si privatio opponeretur existentia possibili formæ, nunquam daretur privatio; sed hoc est falsum: ergo, &c. Probat maior, quia non possunt dari simul privatio, & forma, cuius est privatio: sed per vos forma, quam privat privatio est possibilis forma, & possibilis forma semper datur secundum possibilitatem in materia prima, & ideo est verum dicere semper materia prima potest recipere formam: ergo si privatio illa datur in materia prima, dabuntur simul privatio, & forma cuius est privatio in eodem subiecto, quod est falsum; ideo enim nunquam datur impossibilitas Petri, ita ut Petrus sit impossibilis, quia secundum adversarios impossibilitas Petri opponitur possibilitati illius, quæ semper datur: sed privatio formæ iuxta dictam solutionem opponitur possibilitati formæ: ergo nunquam datur privatio formæ.

## SECTIO VLTIMA.

### Argumenta adversaria solvuntur.

170 AD primum respondeo interrogationem illam non esse ad rem, quia ego etiam rogabo, quare lapis in sententia Albertini habeat illud esse positivum, & chymæra non habeat, & quare homo sit rationalis, & equus non, & quare Deus sit à se, quæ interrogationes sunt impertinentes, quia prædicata essentialia sunt talis conditionis, ut non possit de illis reddi aliqua ratio à priori; alias illud non erit prædicatum essentialiale, sed passio, seu proprietas; nam ideo risibilitas in homine non est essentia illius, quia datur aliquod prædicatum prius, quod potest assignari, tanquam ratio propter quam homini conveniat risibilitas, & ratio est manifesta, quia in demonstrationibus tandem sistendum est in aliquo prædicato ultimo, & indemonstrabili à priori, quia scientia debet reducere suas conclusiones usque ad prima principia demonstrabilia, ut in homine sistitur in rationalitate, & sic responderetur interrogationi, quod ideo lapis non habet repugnantiam, & quod habet illam chymæra, quia unaquæque negatio ex illis à se sine aliqua causa est talis natura per quam in esse possibilitatis, & impossibilitatis constituuntur connotationes ex vi propriorum principiorum existentiam, vel repugnando illi; unde non opus est ut recurrat ad virtutem primæ causæ, ad hoc ut asseras possibilem esse lapidem, & impossibilem chymæram, in essentijs enim, & connexione prædicatorum essentialium præcipue in ipsa possibilitate eorum, non est recurrendum ad causas extrinsecas, sicut in connexione rationalis cum animali non recurrit ipse Albertinus ad causam aliquam, & ideo interroganti cur homo sit ani-

mal rationale, nullus cordatus respondebit, quia Deus vult, imo ideo Deus vult producere hominem, qui sit animal rationale, quia homo ex se petit habere naturam viventem sensibilem rationalem.

Et ut evidenter hoc pateat, demus & concedamus adversarijs possibilitatem esse positivam entitatem, sine dubio connectetur cum existentia, connotabitque illam, quia possibilitas sit, vel non sit positiva in ordine ad existendum est. Tunc sic, de hac possibilitate positiva interrogo ab adversarijs, cur connotet existentiam, & dicat non repugnantiam ad illam, impossibilitas autem non connotet: sed potius repugnet existentia? Ecce quomodo si alicuius momenti est argumentum Albertini in tali interrogatione fundatum, non solum est solvendum à nobis, sed etiam ab ipso; quare solutio eius non dependet ab hoc quod asseratur possibilitatem esse negativam vel positivam, siquidem omnibus quacumque ex illis opinionibus amplectentibus incumbit solutio illius argumenti; ex quo evidenter colligitur nullius momenti esse interrogationem illam, & ratiocinationem, tali interrogationi innitentem, licet magni fiat ab Albertino, quia argumentum quod multum probat nihil probat, ut est tritum axioma in omni schola: atqui hoc argumentum probat contra omnes cum non probet possibilitatem esse quid positivum: sed vel non dari possibilitatem in rerum natura, vel dependere in sua constitutione, & formalissima ratione possibilitatis; imo, & omnes essentias in connexione prædicatorum essentialium ab aliqua causa extrinseca, & libera, quod quam sit absurdum ipsi cæcutientes viderint: ergo inutilissimum est argumentum quod talia absurda intendit probare: solutio igitur illius est à nobis tradita; reliqua vero quæ in illo argumento ponuntur, tanquam crepundia puerorum, & quæ minime adversus nostram sententiam pugnant, relinquuntur; solum advertas licet aliud esse omnipotentia esse causam possibilitatis logici lapidis, aliud vero intelligi non posse possibilitatem logicam lapidis actu, non cognita simul omnipotentia propter connexionem essentialiam, ac necessariam, quæ reperitur in possibilitate respectu omnipotentia, primum enim falsum est, ut ex sæpe dictis constat, secundum autem verum, ut patebit ex infra dicendis.

Ad secundum respondeo, sensum illius propositionis actualiter provt ab æterno nihil aliud esse, quam dari possibilitatem hominis ad hoc ut possit creari secundum id quod petit natura hominis; scilicet animal rationale, & hoc ita necessario, ut non possit vlllo modo aliter fieri; sed potius omnino implicet, & repugnet posse fieri non animal rationale, quia esse animal rationale in homine non per unionem: sed per quidditativam, & essentialiam identitatem inter prædicatum, & subiectum inter hominem videlicet, & animal rationale, nam licet Deus non possit necessitari ad producendum hominem, quia est infinite liberum agens; nihilominus ex suppositione, quod producat illum necessario debet producere ipsum animal rationale, nam Deus non potest separare quæ identificantur: sed homo, & animal rationale identificantur omnino essentialiter: ergo non potest Deus separare hominem ab animali rationale, producendo illum sine hoc.



Quam veritatem per hanc conditionalem propositionem explicat Divus Thomas, si homo creandus est, qui non repugnat creati necessario producendus est animal rationale in quo distinguitur à pariete albo, vel homine risibili, nam quotidie paties est sine albedine, & homo potest creati à Deo sine risibilitate, quia essentialiter, & quidditative non identificatur homo cum risibilitate, sicut identificatur cum animali rationali.

174 Sed adverte, quod quando dicitur ab æterno, homo est animal rationale, non significat illa propositio hominem esse actu talem, ita ut ab æterno detur homo actu cum positiva essentia animalis rationalis, quia ut bene advertit P. Suarez in metaphysica, disp. 31. sect. 2. num. 8. negandum est imprimis illas enuntiationes, quas vocamus æternæ veritatis, & absolutas à tempore in se ab æterno fuisse veras actu, & formaliter tam veritate transcendentali, quam formali, & propria enuntiationis, reddi que manifestissimam rationem, quia illæ propositiones ab æterno in se nihil erant actu, & solum incipiunt habere existentiam in tempore beneficio alicuius intellectus creati actu illas efformantis, unde ab æterno, neque vere fuerunt transcendentaliter, quia huiusmodi veritas uti connexa necessario cum ente non convenit actu, nisi entibus etiam in actu, & veritas formalis, & logica, vel se non distinguitur ab entitate actuali ipsius enuntiationis, propterea connotat obiectum extrinsecum, ita esse in se sicut actu per enuntiationem illam profertur, vel saltem sequitur entitatem actualem rei.

175 Dicuntur ergo esse ab æterno, quatenus ipsæ sunt in mente divina obiective, vel quatenus ex se habent potentialitatem logicam.

176 Deinde de illas enuntiationes ab æterno habuisse actualem veritatem saltem formalem, nego tamen in se futurum obiectum illarum actualiter esse debere ens, v.g. de hanc enuntiationem, Petrus est animal rationale, ab æterno actu fuisse veram veritatem formalem, & nego ex illa colligi Petrum ab æterno actu esse animal rationale, siue actu habere propriam essentiam positivam, quia ut iam dixi, enuntiationes istæ licet absolute proferantur, virtute tamen continent conditionem, si pro lucatur à Deo, vel quando à Deo producat, itaque idem est absolute enuntiare hominem esse animal rationale, ac dicere ipsum necessario ita futurum, quoties Deus illum produxerit; unde ut docet Divus Thomas prima parte, quæst. 10. art. 3. ad tertium, ab æterno non fuisse veritatem in illis propositionibus, nisi quatenus erant obiective, ut supra dixi in mente divina, quia subiective, vel realiter, non erant in se, nec obiective in alio intellectu, ut autem vera scientia sit, qua Deus ab æterno cognovit hominem esse animal rationale, non oportuit essentiam hominis habere ex æternitate aliquod esse reale in actu, quia illud esse non significat actuale esse, & reale, sed solum connexionem intrinsecam talium extremorum; hæc autem connexio non fundatur in actuali esse, sed potentiali; si autem obijcias per illam scientiam non cognosci hominem posse esse animal rationale, sed necessario esse animal rationale: ergo solum esse potenziale non est sufficiens fundamentum eius.

77 Respondio negando absolute consequentiam, quia illa necessitas non est absoluta essendi, secundum aliquod esse reale in actu, sed quoad est

possibilitas tantum includit tamen supradictam necessitatem conditionalem, quæ nihil aliud est, quam identitas quædam obiectiva hominis, & animalis, quam identitatem Deus simplicissime cognoscit; nos autem per compositionem, quæ significatur per verbum est, quando dicimus homo ab æterno est animal rationale, quod illud esse pertinet ad tertium modum quod dicitur esse significare interdum veritatem compositionis, quæ veritas fundatur in connexionem intrinsecam, ac determinatam prædicatorum essentialium inter se, ratione cuius licet Petrus actu non sit ab æterno animal rationale, dicitur absolute tale, quia ita necessario petit Petrus connexionem illorum prædicatorum essentialium, animal videlicet, & rationale, ut adhuc divinitus non possint separari, neque Deus possit dispensare in illa connexionem, nec aliter se habere circa productionem Petri, nisi illum producendo animal rationale, & è contra hæc propositio non est vera ab æterno homo est albus, quia homo ex natura sua non petit necessario albedinem, cum passim videamus homines nigredine imbutos.

178 Sed huic communi, atque subtilissimæ doctrinæ existimat Albertinus obviam ire, asserendo conditionalem illam posse etiam competere rei secundum prædicatum, cum quo non habet necessariam connexionem, indeque fore propositionem efformatam ex re, & ex illo prædicato esse veram ab æterno vocandamque etiam propositionem æternæ veritatis, quod affirmari non potest sine gravi inconveniente, nam sicut prædicatum illud non convenit rei, nisi cum actu rei, & prædicatum existunt, ita neque propositio affirmans tale prædicatum de re potest esse vera, nisi dum utrumque actu existit, quia ab eo quod res est, vel non est, propositio dicitur vera, vel falsa, quod vero possit conditionalis illa convenire rei secundum prædicatum, cum quo non habet necessariam connexionem, probat hæc propositionem quæ semper vera est si homo existit necessario subsistit, (atque se sumere subsistentiam late vel pro aliena vel propria,) sine quarum vna, vel altera, constans est Theologorum sententia, non posse naturam substantialem à parte rei existere; sed subsistentia, seu propria, seu aliena non est prædicatum habens necessariam connexionem, cum natura substantiali: ergo.

179 Sed obiectioni facile respondebis, si neges illam conditionalem posse convenire rei, secundum prædicatum, cum quo non habet necessariam connexionem, & ad illam propositionem, qua id probat, responde verum, ac necessarium esse hominem, si existat subsistere, & nega subsistentiam comparatione hominis, quatenus homo est, & in quantum hac voce significatur, non habere necessariam cum illo connexionem, quia respectu illius ut sic, non est prædicatum quarti, vel quinti prædicabilis, sed potius tertij, vel ad modum illius, quia cum homo secundum quod talis, & quatenus per hanc vocem hominis exprimitur, non solum dicat naturam substantialem, sed potius naturam personatam, alias non homo, sed potius natura humana vocaretur, sit illi secundum quod tali, & quatenus per nomen concretum, & suppositi importatur, ut conveniat essentialiter actum includere personalitatem, seu propriam, seu alienam, quæ est ultima ratio constitutiva personæ in quantum personæ.

Si vero compares subsistentiam non ad hominem, nem,



## Quaest. II. Quid sit possibile, an positivum? 471

nem, sed ad humanitatem fateor quidem non habere necessariam, & essentialem connexionem cum illa, quia probabilissimum existimo, & inferius probō efficacissime substantialem naturam singularem extrahi posse extra causas, divinitusque conservari absque actuali aliqua substantia propria, vel aliena, per quam intrinsece compleatur in hoc autem sensu respondeo primo negando propositionem illam conditionalem esse veram, si de actuali vera convenientia, & coniunctione substantiae propriae, vel alienae, cum natura singulari humana à parte rei loquamur; concedi tamen illa potest de aptitudinali, quo pacto substantia non est praedicatum accidentale comparatione naturae substantialis, sed quidditativum, & essentialiter, est enim ipsa naturae substantialis quidditas, quae essentialiter postulat in actu primo, seu secundum aptitudinem compleri per substantiam, seu personalitatem.

181 Secundo potest responderi probabiliter cum aliquibus, quod propositiones aeternae veritatis non solum possunt fieri in praedicatis essentialibus, sed etiam in praedicatis accidentalibus, quae sunt proprietates, quae necessario connectuntur cum essentia rei, unde non solum est aeternae veritatis haec propositio, homo est rationalis: sed etiam haec, homo est risibilis, & solum distinguuntur quod praedicatum primae propositionis convenit subiecto non in secundo modo: sed in primo essendi per se, praedicatum vero secundae propositionis convenit solum subiecto in secundo modo essendi per se, atque ideo cum substantia sit proprietates naturae substantialis, haec propositio est vera, & aeternae veritatis natura humana subsistit, hoc est, est independens à subiecto, quia illud subsistit sumitur ut ait Albertinus latissime, prout significat propriam vel alienam substantiam, vel aliquid proportionale, cuiusmodi esset si natura conservaretur per novum influxum suppletentem omnem substantiam, nam in omnibus casibus natura constitueretur independens à subiecto, unde necessario semper ei convenit talis independentia à subiecto, quae est propria rei substantis, unde talis propositio necessario dicit conditionalem implicite, id est si natura humana existit, & producit, necessario subsistit; aut est independens à subiecto, si autem sumatur pro substantia propria, vel aliena, quatenus distinguitur à novo influxu supra dicto, haec necessitas est physica, & non metaphysica; necessitas autem physica dicitur, quando taliter praedicatum convenit subiecto, ut non possit non convenire loquendo physice, & ex natura rei, potest tamen impediri saltem per potentiam Dei absolutam, necessitas autem metaphysica versatur inter praedicatum, & subiectum quando ita convenit praedicatum subiecto, ut implicet contradictionem non convenire, atque ideo nec per potentiam Dei absolutam non potest impediri talis convenientia; regula igitur ad cognoscendas propositiones aeternae veritatis haec est, quando praedicatum convenit subiecto habens necessariam connexionem cum illo: videatur eximius noster Doctor loco citato *scilicet* 12. à *nam* 38. *usque* ad 47. ubi soluit etiam aliam objectionem de existentia, in hac propositione, homo existit, ubi asserit quod in re est etiam propositio aeternae veritatis: sed in modo loquendi est falsa, quia verbum *existit* sumitur semper cum actualitate ex parte subiecti.

182 Ad primam confirmationem respondetur pri-

mo concedendo maiorem, & negando minorem, & ad probationem illius negatur quod magis nihil sit chymæra quam creatura possibilis, quia possibile formaliter est negatio sicut impossibile, & solum distinguuntur, quia una est pura negatio, & alia per modum privationis. Secundo respondetur negando maiorem, quia unum nihil potest esse magis nihil quam aliud, quia unum potest esse purum nihil, & aliud per modum privationis, quae non dicitur pura negatio.

Ad secundam confirmationem respondetur 183 negando maiorem, quia id pertinet ad omnipotentiam divinam quae ex nihilo producit rem; sed quando dicitur quod unum contradictorium convertitur in aliud, non est intelligendum quod convertitur remanendo ipsum contradictorium, vel aliquid illius: sed solum est sensus quod unum contradictorium fit ex alio, tanquam ex termino à quo, per destructionem ipsius contradictorii.

Ad tertiam confirmationem respondetur con- 184 cedendo primum antecedens, & primam consequentiam, & concedendo secundum antecedens, & negando consequentiam, quia proportio illa tantum est in ratione intellectus, & intelligibilis; hoc est quod obiectum sit intelligibile, eo modo quod intelligitur, & si hoc argumentum aliquid probaret, probaret etiam quod creatura possibilis deberet esse actu existens & infinita, quia intellectus divinus est actu existens, & infinitus, & etiam probaret quod actio, quo ego cognosco substantiam, deberet esse substantia, quia actus, & obiectum debent habere proportionem, qui modus arguendi est falsissimus, ut constat ex dictis.

Ad 3. concedo maiorem, & nego mino- 185 rem, obiectum enim formale sub quo non est necesse ut terminet actionem potentiae, imo in aliquibus non potest terminari illam in suo esse formalissimo, ut latissime exemplo visibilitatis, & amabilitatis probavimus in Logica in notabili quaestione quod sit obiectum formale Logicae, cum autem possibilitas sit obiectum formale non terminativum, nec motivum propter quod, sed sub quo, non producit, nec potest in se produci, quia est ratio formalis producendi alia, & ratio quare creatura terminat actionem, ipsa autem in se independens, & increata est.

Dices: ergo est Deus, quia quicquid increatum 186 est, Deus est.

Respondeo negando Deum esse talem possibi- 187 litatem, quia Deus non quaecumque ratio increata est, sed positiva, & perfecta, ex quo sequitur quod sit infinite perfectus Deus: nam si semel admittimus Deum habere perfectionem positivam, admittendum nobis erit necessario esse sine limite, ac termino perfectionum, ac proinde esse infinitam, Deumque infinite perfectum, cum illam positivam perfectionem non habeat ab alio participatam, à quo possit limitari in illa: sed habeat illam à se, non quia habeat illam à seipso, tanquam à causa influente, sed quia non habet ab alio, dicitur habere à se, ratione cuius nec à seipso potest limitari in perfectione. Tum quia idem non se limitat in perfectionibus, quia idem appetit habere omnes perfectiones quas potest; tum etiam quia, ut dixi, non est causa sui ipsius; ex alia autem parte possibilitas non consistit in positivo, sed in negativo; unde in imperfectione, seu in ratione imperfecta consistit, & licet ali-

qualis



qualis possit concipi perfectio in possibilitate, quam non habet impossibilitas, quia autem talis perfectio non est à se, sed desumpta à connotato, scilicet existentia, & existentia est ens participatum, & creatum; inde evenit, quod possibilitas in se, & respectu sui nullam habeat perfectionem, nisi involvendo existentiam creatam, & ideo licet sit à se talis, negatio erit imperfectio à se, quia negatio ut dixi imperfectio est, aut dicit admittam imperfectionem, & sic non erit Deus, Deus enim necessario perfectio infinita, & summa esse debet.

188 Ad primam confirmationem respondeo distinguendo maiorem, id ipsum cuius possibilitas fuit ab æterno est, quod nunc producitur in tempore concedo; id ipsum numero, quod nunc producitur realiter, eo modo quo producitur fuit possibile ab æterno, nego: hoc est fuit ipsum esse possibile, seu ipsa possibilitas, ita ut hoc, quod producitur in tempore sit idem, quod possibilitas, quæ fuit ab æterno, nego: ad probationem antecedentis distinguo, secundum omnia quæ habet, fuit possibilis creatura, id est nihil est actu in illa, cuius possibilitas non præcesserit ab æterno concedo, idem ipsum realiter est possibile, quod fuit ab æterno, & quod nunc producitur, vel ut melius loquar existentia, quæ nunc producitur est ipsa possibilitas reperta ab æterno, nego existentiam, quæ positivum ens reale est, & quæ nunc producitur realiter distinguitur à possibilitate, quæ ab æterno fuit, quia illa est negatio formalis nihil habens positivæ rationis; contra vero existentia est quid positivum absolute, ac simpliciter, nihilominus tamen existentia hæc, quæ nunc producitur, licet nullo modo extiterit ab æterno, denominatur ab æterno possibilis propter suam possibilitatem, quæ ab æterno extitit; possibile enim est concretum quoddam, resultans ex possibilitate, & ex existentia, sicut futurum est concretum quoddam resultans ex futuritione, & entitate quam connotat talis futuritio, quæ concreta in hoc conveniunt, ut existentia connotata à possibilitate, & futuritione possit denominari, & de facto denominetur à formalitate propria futuritionis, vel possibilitatis, quando actu non datur in rerum natura talis existentia quod aliter contingit in alijs concretis, quæ actu non possunt denominari de præsentia, nisi actu dentur secundum materiale, & formale, v. g. visum, aut album non denominatur actu ab albedine, & visione; si actu non dentur; è contra vero contingit in nostro casu, quia existentia connotata per possibilitatem actu denominatur, & constituitur possibilis, & futura ab æterno, licet ab æterno actu non detur talis existentia, in hoc tamen differunt denominationes futuri, & possibili; nam futuritio necessario requirit ad hoc ut denominet suum materiale, ut actu non detur illud, quia quando actu datur existentia, quæ denominabatur à futuritione, nullo modo actu de præsentia denominatur futura; existentia autem ut denominetur actu possibilis non est necesse ut non sit actu; quia si non sit siue sit, denominatur possibilis actu, ut patet ex supra dictis *quest. 1. de possibilitate*. Vnde hæc propositiones sunt veræ, Philippus quartus ab æterno est possibilis licet ab æterno non existeret Philippus quartus, actu quando existit, est possibilis, & ratio est manifesta, quia tum aliquid est

possibile actu, quando actu non repugnat existere: sed ab æterno, & in tempore quando existit, & quando non existit Philippus quartus, actu non repugnat existere: ergo actu denominatur possibilis; vnde triplex est genus formarum, aliud quod ut denominet actu petit actu dari existentiam ut vnio, albedo, actio, &c. secundum genus formarum est quæ ut actu denominent necessario petunt, ut existentia non sit actu ut futuritio, mors, &c. nam illud est actu mortuum, quod actu non est, & fuit, & illud est actu futurum, quod actu non est: sed erit.

Ultimum genus formæ est, quod est indifferens ad denominandum de præsentia, tam quod est quam quod non est actu, & hæc est possibilitas ut dixi; vnde non mirum ut existentia, quæ ab æterno non fuit ab æterno denominata fuerit actu possibilis, quia possibilitas denominatur tamquam forma existentiam in quacunque duratione detur ipsa possibilitas, quare nihil aliud est existentiam fuisse ab æterno possibilem, nisi ab æterno extitisse possibilitatem connotantem ipsam existentiam, quæ ratione talis possibilitatis non repugnabat existere, & ratione talis non repugnantia potuit ab æterno produci, quia omnipotentia divina est virtus, quæ potest producere, quicquid non implicat contradictionem, itaque non dicitur existentia possibilis, eo quod totum concretum possibile fuerit ab æterno secundum materiale, & formale: sed quia tantum fuit formale illius concreti, à quo ex tunc denominatur existentia possibilis, quæ potest terminare actionem omnipotentia divini, v. g. existentia Philippi quarti, quæ nunc est, & ab æterno non erat, ut dixi ab æterno denominata fuit possibilis, seu non repugnans produci, & sic in hoc sensu est verum dicere, id ipsum, quod aliquando sit est, quod est possibile siue actu existat, siue non existat, dum tamen possibilitas actu sit quæ possit denominare actu.

Ad secundam confirmationem distinguo antecedens, ens possibile secundum omne, quod habet tam materiale, quam formale connectitur tamquam effectus cum sua causa nego, ratione materialis, concedo; nam in possibili, formale, quod est possibilitas non connectitur cum omnipotentia ut effectus cum causa, quia non est obiectum terminativum omnipotentia; quæ est obiectum terminativum omnipotentia: vnde possibilitas cum non sit effectus omnipotentia, neque fiat ab ipsa, non est quid positivum; è contra vero, quia existentia est effectus omnipotentia, & producitur; vnde possibilitas in hoc sensu dicitur terminus omnipotentia, quatenus terminatur omnipotentiam, ut ratio sub qua fiat, vel possit fieri existentia, quæ est terminus factus, vel factibilis ab omnipotentia; quare illa propositio ultima universalis, scilicet quod nihil possit connecti cum potentia effectiva nisi ut fiat, vel producat, falsa est ut patet ex dictis.

Ad ultimam replicam respondemus distinguendo maiorem, actualis in actu exercito nego, actualis in actu signato concedo, id est existentia connotata non est actu producta; nec actu existens: sed illa secundum se considerata, vel ut clarius loquar, quæ si producat actualis erit, & quæ postquam producitur actualis positiva est, ut videre est in omnipotentia, quæ habet pro



pro obiecto producendo existentiam, & conno-  
tat, vt obiectum terminativum illam, & essen-  
tiam actuaalem quod obiectum producendum non  
est possibilitas existentia, nec ipsa existentia  
ab æterno existens actu, hoc est in actu exercito,  
sed potius in actu signato, idest existentia illa,  
quæ pos. nam producitur actualis positiva est,  
& quæ si producat talis erit; vnde existentia  
ratione cuius, convenit creaturis possibilibus, fa-  
ctib. itas est existentia actualis, non provt actualis,  
sed provt exercita reduplicative, quia per  
hanc reduplicationem significatur non solum  
actualitas, & realitas existentia, sed etiam actua-  
lis eius effectus, vel quasi effectus formalis, atque  
adeo essentia realiter, & a parte rei actu existens  
est ipsa actualis existentia, quæ est terminus pos-  
sibilitatis per quam formaliter constituitur crea-  
tura possibilis in ratione entis possibilis, quam  
provt erit terminus actionis per quam creatura  
possibilis extrahitur à potentia causarum ad rea-  
le esse proprium extra causas, quo sensu intelli-  
gendos existimo eos, qui dicunt existentiam actua-  
lem importari ab ente possibili non in actu exer-  
cito, sed signato intelligere; aut significare per  
actum exercitum non solum existentiam specifi-  
cative exercitam, sed ipsam provt exercitam, si-  
ve provt actualiter extrahit rem extra causas ipsa  
existentia, per actum vero signatum explicare  
existentiam actuaalem, non sub ea ratione qua  
actu extrahit rem extra causas, sed sub ratione  
termini realis tam negationis, quam actionis  
omnipotentia; vnde inter existentiam possibi-  
lem, & inter ipsam provt exercitam in ordine ad  
hoc negotium explicandum designari poterit per  
conditionalem supra positam medium, ipsam  
scilicet existentiam actuaalem secundum se, non  
exprimendo an sit producenda, vel sit potens  
produci, sed solum cognoscendo illam secundum  
se, quatenus ex se, & in se provt est terminus ta-  
lis negationis, & actionis divina, quando exer-  
cet est positiva entitas, quæ licet ab æterno nō  
sit actu, nihilominus ita in ac producitur est po-  
sitiva entitas actualis, idest est actualitas positi-  
va, per quam terminat creatura actionem divi-  
nam producentem quod non est novum, nec so-  
lum secundum nostra principia dicta; si quidem  
in ipsa omnipotentia, & in scientia divina potest  
fieri eadem interrogatio, cui non solum nos, sed  
etiam ipsi adversarij debent respondere; nam cer-  
tum est omnipotentiam quatenus est virtus pro-  
ductiva connotare existentiam, de ipsa enim exi-  
stentia connotata ab omnipotentia quæro, an sit  
possibilis vel actualis; si possibilis est solum ne-  
gatio; si dicatur esse actualis est falsum loquen-  
do ab æterno, quia ab æterno existentia actu non  
est nec potest dici connotare existentiam; solum  
ratione possibilitatis, quia omnipotentia vt dixi-  
mus, diverso modo connotat existentiam, ac pos-  
sibilitatem; nam possibilitatem non respicit vt  
faciat, & producat, quia possibilitas in vestra sen-  
tentia est improductibilis, & independens à Deo,  
ac proinde nullo modo potest produci in se, quæ  
possibilitas vt distinguitur ab existentia non  
respicitur ab omnipotentia, nisi sub ratione ob-  
iecti formalis sub quo; existentia autem respici-  
tur, vel connotatur ab omnipotentia tanquam  
terminus, qui in se potest produci à Deo, & de-  
pendere ab omnipotentia divina; ergo non solum  
ratione possibilitatis, sed ratione propriæ entita-  
tis connotatur ab omnipotentia, non tanquam

R. P. Ideph. de Peñafiel, Theol. Schol. Tom. I.

quid negativum, sed potius tanquam quid posi-  
tivum, quod secundum se tale est, licet actu non  
sit, quia licet aliqua entitas positiva actu non sit,  
non ideo est ipsa negatio sui, quia idem non po-  
test esse contradictorium sui ipsius, quia talis  
transitus aut conversio in sui contradictorium,  
hoc est, quod fiat ipsum contradictorium est im-  
possibile vt supra vidimus, quare dicendum est  
omnipotentiam connotare existentiam, quæ licet  
ab æterno non fuerit, nihilominus ex se, & secun-  
dum se positiva actualitas est, quæ propositio, vt-  
pote æternæ veritatis explicanda est per condi-  
tionales supradictas eo modo, quo supra data  
opera, explicuimus propositiones æternæ veri-  
tatis.

### QVÆSTIO III.

Cuius negatio sit possibilitas formaliter.

#### SECTIO I.

Sententia adversariorum proponitur.

**P**RIMA sententia asserit possibilitatem  
reum formaliter immediate esse nega-  
tionem repugnantia; vnde formaliter,  
& primario in hac sententia est non repugna-  
tia ad existendum, & ideo vocatur negatio non  
pura. Probatur hæc sententia, quia creatura im-  
mediate, primario, & formaliter ratione possibi-  
litaris est non repugnans existere; ergo possibili-  
tas est non repugnans ad existendum, quia eo  
modo est forma, ac est effectus formalis illius, sed  
non repugnans ad existendum est negatio rep-  
ugnantia, sicut non visus est negatio visus; ergo  
possibilitas primario, & formaliter.

Secunda sententia est, possibile, seu quod non  
implicat contradictionem formaliter esse meram  
& puram negationem; sic P. Vazq. & P. Suarez  
diverso tamen modo explicantes suam mentem,  
P. Suarez sic suam sententiam exponit, dicendo  
possibilitatem nihil esse aliud, quam negationem  
puram, excludentem repugnantiam terminorum  
positivorum, quos si Deus operetur realiter inter  
se coniungentur eo quod inter se non repug-  
nent, & post multa sic concludit n. s. sect. 3. disp.  
31. mer. fatendum ergo necessario esse seclusa enti-  
tate existentia quæ per effectum aliquam  
comunicatur, ipsam entitatem essentia omnino  
nihil esse, & in principio sectionis sic ait, præciso  
esse existentia essentiam non esse rem aliquam,  
sed omnino esse nihil; non autem repugnantiam  
his verbis tribuit possibilitati num. 3. ex mente  
Capreoli, (quam sequitur) ex parte creatura di-  
cit, quandam aptitudinem, seu potius non repug-  
nantiam vt in tali esse à Deo producatur, & in  
principio illius sectionis, sic ait obiectum huius om-  
nipotentia, quasi motivum, sub quo, seu ratio  
propter quam existentia non repugnat esse, non  
est aliquid sed pura negatio alicuius, hoc est pu-  
rum, & omnino nihil, quatenus ex se excludit  
omnem entitatem, quam includit esse positivum:  
hæc omnia docet P. Suar. com. 2. mer. disp. 31. sect. 2.  
& 4. & tom. de Deo, tract. 1. lib. 3. cap. 9. num. 16.

Probatur sic primo Verbis P. Suarez, creatura,

ooo &